CL. ITALORVM ET GERMANORVM

EPISTOLAE

AD

PETRVM VICTORIVM

SENATOREM FLORENTINVM

NVNC PRIMVM EX ARCHETYPIS IN LVCEM ERVTAE

RECENSVIT VICTORII VITAM ADIECIT

ET ANIMADVERSIONIBVS ILLVSTRAVIT

ANG. MAR. BANDINIVS I. V. D.

LAVRENTIANAE BASILICAE CANONICVS

ET IBIDEM S. C. M. REGIVS BIBLIOTHECAR.

ET PVBL. BIBLIOTH. MARVCELL. PRAEFECTVS &C.



FLORENTIAE A. CIↃ. IↃ. CC. LVIII.

PRAESIDVM FACVLTATE.

FRANCISCO
MARCHIONI ET EQVITI
VICTORIO

ANG. MAR. BANDINIVS DIVTVRNAM FELICITATEM.

MItto ad Te, *Victori* amplissime, clarorum Italorum, & Germanorum Epistolas, ex autographis e Tua lectissima Bibliotheca depromtas, ad *Petrum Victorium* Se-

natorem Atavum Tuum, a viris illustribus, & celeberrimis exaratas, quae nunc primum, non certe sine aliqua mea cura, & impensa, in lucem prodeunt. Quum enim domi Tuae literarius hic, ut ita dicam, thesaurus delitescerer, solusque tantorum potiri bonorum posses, maluisti ea, ut es omnibus in rebus publicae utilitatis studiosissimus, literarum cultoribus inpertiri. Quanto igitur beneficio adfeceris humanum genus, iudicent ii, qui non sunt penitus alieni a Musis, nec sua tantum, propriaque commoda consectantur. Ipse vero, ut praestantissimorum virorum gloriae aliquo modo inservirem, hanc, Te hortante, suscepi curam, ut quam castigatissime inprimerentur.

non significa poderè

non è vero quicquid

Hoc quidquid sit industriae meae argumentum Tibi unice, *Victori* optime, non maiorum tantum claritate, quam virtutum Tuarum splendore, dignitate nominis, ac laudibus ornatissimo dicatum volui; Tibi inquam, veluti omnigenae antiquitatis, & eruditionis scrutatori, & gravissimo interpreti, graecis, ac latinis literis egregie exculto, quique pluribus editis ingenii Tui monimentis aeternum in literaria Rep. adeptus es nomen.

Qua-

Quamobrem mirandum non eſt, ſi BENEDICTVS XIV. Pont. undecumque Maximus Tibi curam inpoſuerit earum antiquitatum, quas in Vaticano Muſeo congeſſerat, ſeu ſibi muneri datas, cuius generis eſt collectio ſacrorum monimentorum, quae in Tuo locupletiſſimo Muſeo ad illud tempus ſervaveras, ſeu quas regio ipſe plane ſumtu collegerat: ex quo factum eſt, ut te Pontificio diplomate Praefecti, ac Curatoris perpetui titulo decoraverit (1). Plurima me ſilentio praeterire cogit ſingularis Tua probitas, atque incredibilis modeſtia, quae quum iſta aetate, moribusque horum temporum rara, & infrequens ſit, domeſtica in Te, & a natura prope inſita videtur. Vale, *Victoriae* Domus decus atque ornamentum, & me Tuae virtutis admiratorem, ut facis, ama. Dab. Florentiae in Pervigilio D. Laurentii A. CIↃ. IↃ. CC. LVIII.

(1) Hunc praefefert titulum „ Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri D. BENEDICTI PP. XIV. Literae Apoſtolicae, quibus pro aperitione Muſei Vaticani methodus obſervanda praecipitur, & pro conſervandis augendisque in poſterum ſacris monimentis proſpicitur, & providetur. Romae MDCCLVII. Ex Typographia Camerae Apoſtolicae.

LECTORI ANG. MAR. BANDINIVS S.

NOstra haec Epistolarum collectio in partes tres adcurate tributa, exhibebit Tom. I. Claror. Virorum Epistolas ab An. MDXXXVII. ad An. MDLXVII. Tomo Secundo Epistolas ab A. MDLXVII. ad A. MDLXXVII. Tertio denique Tomo reliquas omnes, easque praecipue, quae anni nota sunt destitutae, usque ad An. MDLXXXV. quo diem obiit suum vir plane doctissimus. Voluminii autem primo, illa ipsa *Victorii* Vita praemittitur, quam A. MDCCLVI. Labrone apud *Santinium* in 4. vernaculo sermone in turbam dedimus; nunc vero a nobis in latinum conversa, eaque plurimis additamentis, & observationibus locupletata.

Adcedunt, praeter alia ornamenta, aeneae Tabulae duae, quarum prima vivam *Victorii* effigiem egregie delineatam, & expressam; altera vero numismata exhibet, quae quidem sunt reliqua, eaque ipsa in *Victorii* procusa memoriam. Notulas quoque in calce Epistolarum adiecimus, pluraque observatione digna, simul cum rerum memorabilium indice, in tertium volumen reiecimus. Epistolae vero tum stili lepore, & aurea latini sermonis elegantia, tum rei civilis, & literariae monimentis abundantes, maximae erunt bonis literis utilitati; prodeuntque in lucem, veluti supplementum reliquarum *Petri Victorii* Epistolarum ad viros Cl. quas *Franc. Victorius* eius Nepos, Florentiae A. MDLXXXVII. in fol. *Iunctarum* usus typographio, in medium protulit.

Praestat heic Epistolam *Franc. Victorii* Equitis eruditissimi proferre, quam nobis in declarationem *P. Victorii* numismatum conscripsit, eaque est huiusmodi „

Le prime tre medaglie, essendo state coniate su gli anni LXXIX. e LXXX. dell' età del nostro Piero, *si devono riferire a gli anni MDLXXVIII. e MDLXXIX.*

La

La prima ha un ramo di Olivo col motto LABOR OMNIA. *Questo è preso da* Virgilio LABOR. OMNIA. VINCIT · IMPROBVS &c. *e può alludere a quel trattato della Coltivazione degli Ulivi, che il medesimo alcuni anni addietro aveva pubblicato, e alle altre sue molte fatiche letterarie. Per la seconda, che ha Minerva coll' asta nella sinistra, e nella destra un ramo di Olivo alludente all' Olivo dalla medesima piantato in Atene, si può vedere* Pausania in Atticis, *e* Plinio *al Lib. XVI. Cap. XLIV. della sua Storia Naturale. Il motto è preso da* Virgilio *nella Georgica Lib. I. vers. XVIII. e XIX.* OLEAEQVE MINERVA INVENTRIX. *La terza Medaglia esprime il contrasto seguito fra le due Gentilesche Deità* Nettunno, *e* Minerva *per la Città di Atene, & essendo restata vittoriosa* Minerva *per sentenza degli stessi Dei, essa diede il nome ad Atene, ed a questo allude l' emistichio, o emblema* CONCEDAT LAVREA LINGVAE. *Di queste parole ha parlato il* Vettori *nel Lib. V. delle Varie Lezioni al Cap. XXIV. emendando un luogo controverso di* Cicerone. *La quarta Medaglia sicuramente appartiene all' edizione dell' Etica di* Aristotele, *che si accinse a pubblicarla nella sua gravissima età di anni LXXXV. correndo appunto l' A. MDLXXXIV. Intorno alla sua immagine in questa medaglia si legge* PET. VICTORIVS · AET. SVAE · A. LXXXV. *nel rovescio si vede* Minerva *in piedi coll' asta nella destra, ed al fianco la sinistra, armata di elmo in testa, e dell' egide nel petto col solito vestimento alla vita, col motto* SI · MIHI · SVSCEPTVM ·

Aereum vero numisma, cuius ectypon damus in fronte libri, humanitate clariss. viri *Petri Ant. Seraſſi* nuper Museo *Victorio* adauctum est. In eo *Victorii* imago pileolo distinguitur, & post pectus dracunculus insculptus cernitur, quod vel ipsius qui memoriam condidit, vel *Petri* emblema aliquod, aut pe-

peculiaris nota esse potest. Ceterum numisma in postica parte simile omnino illi est, quod primo loco in tab. aerea incisum cernitur. Praeterea *Victorii* effigies exhibetur a *Paullo Frebero* (1), ab *Iacobo Boissardo* (2), ab *Io. Imperiale* (3), in Promptuario numismatum (4), & a *Franc. Victorio* (5). Exstat quoque inter celebriores Iurisconsultos (6), & in Cymeliis Europae Principum (7), doctorumque Virorum. Verum praeterire non possum, quod in Museo *Victorio* Romae insignis adservatur tabula, in qua a *Titiano*, vel ut aliis placet a *Sante Titio*, *Victorii* effigies ad vivum expressa est. Hanc *Remellius* Regul. Canonicorum Abbas minio delineavit, eaque postmodum Sardiniae Regis Museo cessit.

Denique honorificentissimas BENEDICTI XIV. Pont. undequaque Maximi literas heic proferimus, quas nobis clementissimus Princeps dedit, quum ei *Victorii* Vitam, de qua supra meminimus, dono obtulissemus „

BENEDICTVS PP. XIV. Dilecte fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem. *Riceviamo la sua lettera de' 23. del passato, unitamente colle memorie appartenenti al celebre Senator* Pier Vettori. *Noi la ringraziamo, e di vero cuore ci rallegriamo con lei, che prosiegua la nobile carriera de' suoi studi. Col materiale da essa preparato, resteranno smentiti il* Balzac*, ed il* Tommasio, *che con troppa ingiustizia hanno vilipesa la memoria di un uomo tanto insigne, quanto fu, e sempre sarà il predetto* Vettori. *Ci conservi il suo affetto: restando col darle l' Apostolica Benedizione.* Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 7. Aug. 1756. Pontificatus nostri anno decimo sexto.

(1) De vitis Viror. illustr. Part. IV. p. 1471.

(2) Part. III. Icon. Viror. illustr. n. 11. p. 72.

(3) In Museo Historic. & Phys.

(4) Lugd. apud *Rovillium* 1581.


(5) In editione Epp. *P. Vict.*

(6) Impressa in fol. in Mus. *Vict.*

(7) *Franc. Mar.* Vrbini Dux a *Fr. Victorio Petri* effigiem petiit, & obtinuit, ut videre est ex Ep. eiusdem MSS. d. die ult. Apr. 1583.

Κειμηλίοις

Sartoro



SENATORE PIERO VETTORI

Thom. Gentili del. *Carol. Faucci sc.*

P. VICTORI
SENATORIS FLORENTINI
VITA
ANG. MAR. BANDINIO
AVCTORE.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

I. PETRVS VICTORIVS natus est Florentiae anno Publicae Salutis MCCCCXCIX, V. Eid. Iulias, Hora XV. (1). Patrem habuit *Iacobum Victorium*, matrem vero *Elisabetham*, *Petri Iacominii* filiam, in utrisque ab ultimis adceptam maioribus nobilitatem nactus (2).

(1) Ita legitur in libello Italico inscripto „ Instruzione al Sig. Cav. *Salviati*, auctore *Franc. Victorio* in Biblioth. Magliab. Clas. IX. cod. 64. „ fu nominato *Pietro*, atteso che pochi anni innanzi, era mancato nella medesima famiglia quel *Pietro*, del quale ha scritto la Vita *Anton Benivieni*. Hunc sequitur *Io. Guidaccius* Flor. Canonicus in quibusdam memorabilibus ad *P. Victorii* vitam pertinentibus, quae MSS. extant Cod. Chart. fol. in Biblioth. Equitis *Martimedices*.

(2) *Ios. Blanchinius* in Praefatione ad *Victorii* opusculum, cui titulus, *Della coltivazione delli Olivi*, multa de *Victoriae* Familiae origine, ac vetustate protulit, nonnulla quoque adtigit *Leonardus Salviatus* in Oratione habita in funere *P. Victorii*, & nos ipsi in Praefatione eiusdem *Victorii* Vitae praemissa, quae Italice prodiit Labrone 1756. 4. *Vgolinus Verinus* lib. 3. de illustratione Vrbis Flor. post *Caponiam* familiam, ita de *Victoria* loquitur „

Quin etiam ex isto, ut fertur, Victoria Pubes
Clara toga, & bello deduxit stemmate ramos.
At malunt alii vicinis montibus ortos
E Gangalandis Ducibus cunabula prima
Traxisse, & crebrae sumsisse vocabula palmae.

II. Anno aetatis VII. vixdum ineunte pater eius decessit, quare filii curae suffecta mater (1), quae tum educandae iuventutis ingenuae consuetudo erat, omnibus cum animi, tum corporis ornamentis, quibus illa aetas inpertiri solet, informandum curavit (2); qui quum ingenio maxime polleret, eius animo, qui fuit integerrimus, nullaque vitii suspicione adflatus (3), quicquid optimis ex artibus oblatum est, facile adhaesit (4): & tam multa habuit percepta, ac cognita, ut aetatis vires puer anteiret, & docentium curas superaret (5). Mathematicas disciplinas ab *Iuliano Ristorio* Pratense, celeberrimo Carmelita, mox Astrologiae, ut ea ferebant tempora, & Physices elementa adripuit (6).

III. Ar-

(1) Vixit ad annum usque MDXXVII.

(2) *Franc. Vettori* loc. c. ,, La madre fu di spirito molto elevato ,, & in ogni occasione predicava al figlio ,, gl' illustri fatti degli Antenati di queste famiglie, & particularmente di *Piero Vettori*, e di *Antonia Giacomini* cugino carnale di Lei. ,,

(3) *Ambr. Nicander* Tom. I. Epp. ad *Victor.* ,, Numquam adduci potuissem, ut ad te ista doctrina, & dignitate virum tam familiariter scriberem, nisi me tuae illius probitatis, & humanitatis, quam in te iam inde a puero cognoveram, *Aloys. Caponius* - admonuisset - *Bernardo Victorio* olim meo maecenati, salutem etiam meis verbis dices.

(4) *Franc. Vettori* l. c. fu in pueritia curiosissimo di leggere ogni libro, vago di sentir ragionamenti gravi, & di gran memoria in raccontar le cose, & prediche, come madonna *Elena* sua moglie diceva haver udito dalla Suocera, & che la memoria del fanciullo era ammirata, & se ne facevano gran cimenti.

(5) Tam insatiabili discendi cupiditate tenebatur, ut nonnunquam diu quaesitus, in angulo quodam cum libro latens reperiretur. *Imperial.* in Museo istor. & ex eo *Freherus* Theatr. Vir. Erud. Clar. p. 1471. & *Bruckerus* Histor Crit. Philos. Period. III. P. I. Lib. II. Cap. III. §. XVI.

(6) *Franc. Victor.*, & ex eo *Leon. Salviatus* in oratione habita in funere *P. Victorii* ,, Udirono più giovani un frate Carmelitano, che faceva professione di gran letteratura, per questo *Pietro* lo interrogava spesso con sottilissime questioni, per il che prese & andossene in una villa, & disse poi

ad

III. Artem prae reliquis bene dicendi in deliciis habuit, *Franciscus* licet *Victorius* alio puerum avocaret; eamque ob caussam, in Graecis auctoribus quum *Aristoteli* potissimum obsequeretur, in Latinis *Ciceroni*, fecit ille suarum curarum cumulum, ut eos ipsos diligenter evolveret, & quoad eius fieri posset, edisceret (1). Iacebat ferme temporibus illis eloquentia, inquinate fere quisque loquebatur, nullus erat verborum delectus, nullum scripturae discrimen. Quare quum *Aristophanis* Comoedias aliquem sibi commode interpretantem audire *Victorius* cuperet, *Georgium* quemdam *Riescium* de Podiobonitio, una cum tribus aetate paribus adolescentibus sibi adeundum putavit (2). Hic vero oculorum caecitate captus, eius desiderio facere satis vix potuit; ipso enim auctoris textum legente, quae cuiusque vocis origo, qui numerus, qui casus, quae significatio aperiebat, nullus tamen erat orationis ornatus, nullae homine erudito dignae sententiae, nulla compositionis, aut numerorum ratio.

IV. Ad haec adcessit, quod quidam in ea facultate principem locum obtinentes, de alacri adolescentis ingenio in suspicionem venerant, unde in Graecae linguae praeceptis tradendis, cum eo cautius aliquanto, quam cum aliis agendum sibi arbitrabantur (3). Potuit tamen *Victorius* cum Latinam, tum Graecam linguam penitus adsequi, nam & *Mar-*

 cel-

ad *Antonio* degli *Alberti* la causa, che quel Cervello non era per lui. In Biblioth. Laurentiana Pl. 89. 5. Cod. 34. extant nonnulla eiusdem *Ristorii* Opuscula.

(1) *Franc. Victor.* l. c.

(2) L. c. & *Salvian.* Sepulcrum *Riesciae* familiae, una cum stemmate gentilitio exstat in Basilica veteri Laurentiana cum hac Inscriptione SEP. NICOLAI ZENOBII DE RIESCIS ET DESCENDENTIVM.

(3) Ex *Franc. Victorio* innuimus, unum ex iis *Andream Dactium* fuisse.

cellum Hadrianum (1), & alios nonnullos audivit, & *Andrea Dactio* omnium maxime est usus, Graecae linguae praeceptore, cui postmodum *Cosmus I.* M. E. D. Professoris publici munus tradidit, V. circiter anno postquam *Victorio*, qui ex eius schola prodierat, eadem docendi provincia fuerat demandata.

V. Neque minus ex diutina eorum, quos sibi studiorum socios adiunxerat, consuetudine, quam ex ipsa Praeceptorum voce profecerat. Praelegit enim nonnullos optimae indolis adolescentes patricios, partim aequales, partim natu maiores, quibuscum fere quotidie de iis, quae in publicis lectionibus tradebantur, disputaret; unaque simul quaestiones nunc adferendo, nunc declarando, mirum, quam facili expeditaque via ad comparandum linguarum usum ducerentur. Nomina eorum, quibuscum familiariter agebat *Petrus*, sunt prae reliquis, *Barptolemeus Cavalcantius*, *Franc. Spinus*, *Franc. Mediceus*, *Aloysius Alemannus*, *Ant. Albertus* (2), *Iacobus Diaccetus*, *Nicolaus Ardinghellus*, ac *Baccius Valorius* (3).

VI. Quum illam percepisset disciplinam, cui puerilis aetas obsequi solet, A. circiter MDXIV. Pisas se contulit, iurisprudentiam a viris consultissimis adcepturus. Sed aeris fortasse insalubritate, cui tum locus ille erat obnoxius, gravi morbo conreptus, redire domum coactus est (4); praeterquamquod aliud ibi

(1) *Fr. Victor.* & noster *Petrus* Lib. I. Epp. pag. 17. V. etiam eiusdem *Dactii* ad eum Ep. T. I. Epp. a 23.

(2) Inter Epistolas ad *Victor.* exaratas a nobis omissas una extat *Ant. Alberti* dat. ex Ripulano III. Kal. Nov. MDXXVI. qua *Victorium* de studiis suis consuluit.

(3) *Salviat. Bocchius* in Elogiis lib. 1. pag. 46. Addit *Franc. Victor.* l. c. „ Quando havevano bisogno di aiuto nelli studi, ricorrevano a *Francesco* da *Diacceto* de' *Cattani*, cognominato il Pagonazzo, il quale apertosi pure un poco di studio in Firenze leggeva le morali.

(4) *Guidaccius* & *Franc. Victor.* ll. cc.

ibi vitae discrimen subierat, ex quo tamen divina ope implorata sospes evasit: dum enim noctu per urbem incederet, in latrones incidit, a quibus pene est interfectus (1).

VII. Anno proximo novum Pisani caeli periculum fecit, sed quum aeque noxium esset expertus, medicorum sententia iudicatum est, eius corporis habitudini non bene cum studiis literarum posse convenire (2). Quare Florentiam regressus, ubi convaluit, coepit, matre hortante, annos iam natus XVIII. de ducenda uxore cogitare. Consueverant siquidem ea tempestate nobiliores adolescentes florente aetate matrimonium inire, Romanorum legem forte sequuti, qua cautum erat, ne ad honores eveherentur, qui non ante annum XXV. nupsissent. Contra ea nupera vivendi licentia morem invexit, ut senescentes homines coeant; ex quo fit, ut illustriores familiae maximo Reip. detrimento in dies ad interitum perducantur. Sed ad propositum redeamus; *Petrus* igitur plurimis honestis feminis praeoptavit *Magdalenam*, *Bernardi Medicei* civis literatissimi, ac magnae in gerenda Rep. auctoritatis, filiam, ex nobili *Bonsiorum* gente materno genere natam. Cum ea vixit sine querela annos L. (3) & quod vix nostra aetate bien-

(1) *Bruckerus* l. c.

(2) Rem ita persequitur *Franc. Victor.* l. c. „ I medici lo consigliarono a ritirarsene alla villa di S. Casciano, dove giunto, alla prima vista della madre, egli disse que' duo versi del Petrarca,

Rade volte addivien, che all' alte imprese ec.

Non voglio lasciar di dire, che egli si reputava comunemente, che la casa, nella quale habitò, fosse sotto fatale stella edificata, che havesse occulta malignità, che causassi morte, o pestifera malattia a chi l' habitava; intanto che *Pagolo Vettori*, il quale coll' armata Pontificia guidata da lui, prese porto a Livorno, e venuto in Pisa, alloggiò con *Piero*; udito questo, si ritirò in altra.

(3) Obiit A. 1556. *Guicciardius* l. c.

biennio sperandum esset, tam diuturno annorum cursu una amborum voluntas fuit, una consensio. Plures ex ea liberos sustulit, *Iacobo* tantum, & *Constantia* superstite, quorum alter cum *Magdalena* del *Bene* nupsit; alteram *Dominico Bonsio* spopondit, qui ob iuris prudentiam, qua omnium gratiam sibi maxime conciliaverat, & propter summam sapientiam, multiplicemque rerum usum, magna apud suos auctoritate valebat (1).

VIII. Quantos in dies progressus bonis in artibus *Victorius* faceret, vel ex eo coniici potest, quod *Antonius Francinus* Varchiensis, non obscuri nominis philologus, quum castigatissimam *Pomponii Melae*, *Iulii Solini*, aliorumque editionem typis heredum *Philippi Iunctae* A. MDXIX. in vulgus prodere moliretur, eam *Petro* dicaverit, non vulgari insignitam praeconio (2).

IX. Quo

(1) *Franc. Victor.* qui insuper addit „ Era tanto il desiderio, che egli haveva delle scienze, che egli ricercò *Francesco Vettori* che all' hora poteva assai nel governo, che gli facessi haver licentia di andare in altro studio, ma non potette haver aiuto da lui, anzi ne fu sconsigliato.

(2) Exstat in privata nostra librorum congerie in 8. „ Efflagitasti iamdiu humanissime *Petre*, & fere, ut *Fabius* inquit, quotidiano convicio, *Pomponii Melae* de situ orbis libros a nobis castigari, castigatosque nostris typis excudi. Tuae profecto morem gessissem voluntati, cui tanti te faciam, dictum autem sit citra adulationem, quanti praeterea neminem; tum ut alicui usui bonarum literarum studiosis forem, tum &c. „ nomini tuo nuncupavimus, ut tuo patrocinio iam in vulgus prodeant, praesertim quum ipse utrumque fontem, tam graecum, quam latinum, non ut plerique faciunt iuvenes hac nostra tempestate, qui bonis corporis fortunaeque redundant, summis, ut aiunt, labris degustasti, at toto te corpore proluisti, laudoque consilium tuum, teque hortor vehementius in dies ad bona studia capessenda, licet; ut graece aliquando loquamur, τὸν τρέχοντα ὀτρύνων, quum potius freno, quam calcaribus indigeas. Haec editio A. MDXXVI. sub *Clemente VII.* Pont. ab *Iunctis* recusa fuit, cum eadem Epistola nuncupatoria ad *P. Victorium*.

IX. Quo vero faciliorem sibi Graeci sermonis usum redderet, *Benedictum Varchium* erudiendum suscepit, cum quo arcta intercedebat necessitudo, nulla, ut amico suo morem gereret, aut laboris, aut molestiae habita ratione. *Varchius* siquidem humanissimo praeceptori suo, diuturnis distento negociis, quum nollet obstrepere, eius domum per aliquot menses, hiemali praesertim tempore, antelucanus adibat (1).

X. Nondum XXIV. aetatis annum exegerat, quum *Paullo Victorio* consanguineo suo, Pontificiae classis Praefecto in Hispaniam proficiscenti (2) se comitem dedit, de illius regni moribus invisendis, & penitus cognoscendis sollicitus. Quo in itinere morbo correptus, Barchinone substitit, ubi a Belgis, qui illuc confluxerant *Hadrianum* Pontificem in Italiam prosequuturi, maximis honoribus adfectus est (3). Interim vero, ubi per valetudinem licuit, finitima loca ad Iberum usque perlustrans, ingentem veterum Inscriptionum vim coegit, quas deinde domum regressus, ad rectam scribendi rationem adsequendam magno sibi adiumento fuisse sensit (4).

XI. *Ha-*

(1) *Silvanus Razius* in vita *Benedicti Varchii* praemissa historiae Florentinae eiusdem *Varchii* Coloniae MDCCXXI. fol.

(2) *Franc. Victor.* l. c. ,, Occorse che i Cardinali, che havevano creato *Adriano* Papa assente, deliberarono di mandar *Pagolo Vettori*, che era stato creato Generale delle Galere da *Lione* al nuovo Papa in Hispagna ,, *Paullus Victorius* Pontificiae classi praefuit sub *Leone* X. *Hadriano* VI. & *Clemente* VII. Romae in Bibliotheca *Victoria* plures ad eum Epistolae, aliaque insignia monimenta, quae ad eum pertinent, adservantur.

(3) Ibid. Fu stimata da' Fiamminghi, che vi giunsero la virtù sua & un .... harebbe voluto, che egli tornassi quà con le galere del Re, in sulle quali il Papa venne, rimandando *Pagolo* per altra via, ma non volse il Parente, per causa della sanità. La malattia durò anche tornato che egli fu ec.

(4) Ita idem *Vict.* Epp. Lib. VII. 167. Praeterea ex Ep. quadam *Bal-*

XI. *Hadrianus* interim P. M. XVIII. Kal. Octobr. fato concessit, cui protractis aliquandiu comitiis, conspiratione iuniorum, *Iulius* Card. *Mediceus*, sibi *Clementis VII.* nomine adscito, aequone, an iniquo Florentinae Reip. sidere, suffectus est XIII. Kal. Dec. A. MDXXIII.

XII. Expletis Florentiae more institutoque maiorum communis laetitiae argumentis, XI. delecti sunt viri patricii, qui de mox suscepta dignitate potentissimo civi, specioso gratulationis officio obsequerentur, quos inter, quum esset *Franciscus Victorius*, *Petri* adfinis, faciendum sibi esse existimavit, ut eum, qui invisendae Vrbis æternae incredibili desiderio tenebatur, secum educeret. Peracta legatione literis, atque historiae praesertim, una cum *Iannoctio Nerlio* (1) vacare, nullo interpellante, *Victorius* numquam destitit; eiusque domus, tamquam bonarum artium domicilium ab eruditis hominibus frequentabatur. Nondum erat eius aetas bene firmata, ut Reip. operam suam praestare posset: verum ubi eius ingenium in publicum prodiit, quod de *Hortensio* est memoriae proditum, tamquam Phidiae signum, simul adspectum, atque probatum est.

XIII. Iamque rumor ingruerat, Pontificem Maximum, direpta urbe, in arce cum Patribus circumvallari, atque obsideri. Quare Florentini, quod diu

Baldi Lapii, a nobis suo loco proferenda, conicii potest totius eruditae antiquitatis studiosissimum fuisse *Victorium*.

(1) *Franc. Victor.* l. c. „ Conoscendo di quanto momento erano le osservazioni de' tempi, & cose passate, si messe a leggere attentamente le historie, & per arricchirse di questo bel tesoro, si ristrinse con tanta diligentia a questo studio con *Giannozzo de' Nerli*, che un raccolto, che eglino si proposono di voler fare per proprio uso delle cose della Città, fu poi da' loro amici letto con grande stima,

diu exoptatam repetendae libertatis occasionem sibi ex tuto oblatam perspicerent, Decemviri, quibus omnis pacis bellique cura erat tradita, Decretum publice pronunciandum tulerunt, quo *Medicei* adolescentes *Hippolytus*, & *Alexander*, Reip. hostes declarati, eorumque bonis publicatis, exulare coacti sunt. Tum *Victorius* annum agens XXVIII. plurimos inter consilio ac dexteritate spectatissimos viros delectus est, ut nulla interposita mora, ad foederatorum castra in Galliam Cisalpinam contenderet, omnes belli exitus renunciaturus; ageretque cum *Franc. Maria* Vrbini Regulo, Venetae militiae Imperatore, dum opportuno loco ad Cassianum castra posita haberet, ut *Theodorum Trivultium* Florentinorum stipendiis adliceret. Quod quidem illi contra sententiam obtigit (1), quum Venetorum copiae pro alieno commodo nunquam adsperioris pugnae aleam subire soleant. Providum tamen Iuvenis consilium in munere obeundo, qui simul & utilitatibus eorum, quorum Remp. tutabatur, consuluit, non immerito laudarunt Decemviri, qui ad eum prae reliquis Epistolam publice dederunt, qua maxima *Victorio* in Reip. rebus procurandis potestas commissa est. Vbi vero per aetatem licuit inter Vexilliferos meruit cooptari (2). Erant ii numero XVI. quum Vrbs divisa in IV. Regiones, quae singulae quatuor haberent Signiferos, peculiaribus vexillorum insignibus, eleganti diversarum imaginum varietate figuratis, distingueretur.

XIV. Hac

(1) *Varchius* Hist. Flor. Lib. IX. *Vict.* Epp. Lib. IX. 201. *Fr. Vict.* & *Guidac.* ll. cc. *Carol. Cappellus* in Ep. dat. D. XI Iulii 1529. MSS. in Bibl. Magliab. Class. XXV. Cod. 51. Questi Signori hanno eletto Oratore appresso l' Illustrissimo Sig. Duca di Urbino *M. Piero Vettori* ec.

(2) *Franc. Victor.* l. c. „ creato subito che fu abile de' XVI. Gonfalonieri hebbe il carico di fare secondo il solito il protesto alla Signoria „ la trattò tanto altamente, che deste ammirazione a ciascuno;

XIV. Hac auctus dignitate *Victorius*, cum alia multa, tum illud praeclarissimum gessit, quod *Nicolao Caponio* in publicis comitiis, unus ex tot gravissimis Patribus praesidio fuit, eidemque de fama dimicanti non defuit. *Iacobus* enim *Gherardus* a quodam *Ioachimo Serralio*, *Iacobi Salviati* apud Pontificem toti summae consiliorum Praepositi cliente, ad *Caponium* perscriptas epistolas, delapsasque eius sinu, maligne conlegerat. His nactus materiam obtrectandi, obiurgandique Dictatoris, eo rem turbulenta vociferatione deduxerat, ut illi non sine vitae discrimine perfidiae crimen inureretur, nisi *P. Victorius*, ea, qua pollebat gratia, verborum copia, & auctoritate se furentibus opposuisset (1).

XV. Interim Barchinone percussum est foedus *Carolum* inter Imperatorem V. & *Clementem* Pontificem, III. Kal. Quintiles, quo Caesar Florentinae Reipublicae principem *Alexandrum Mediceum*, *Laurentii* filium inposuerat; utque magis adolescentis dignitas illustraretur, ei *Marghâritam* filiam, se caelibe susceptam, in matrimonium spopondit, aliaque pollicitus est, quibus Pontificis animum, ob direptam a Caesarianis militibus Vrbem, iratum offensumque leniret. *Franc. Carduccio* Remp. administrante, Florentini tot adversis Gallorum casibus perculsi animum attenderunt, ut opportuna adversus inminentis prope belli vim praesidia conferrent. Nec facundissimi quidam adolescentes defuerunt, qui concionibus publice habitis iuventutem ad capessendam institutae urbanae militiae disciplinam inpellerent. His cohortationibus universa pene Civitas commota, fulgentibus armis, & divite cultu elata, sub singulis tribunorum vexillis instructa prodibat, & *Stephano Columnae* Imperatori qui-

(1) *Franc. Victor.* l. c.

quisque obtemperabat. Hos inter praecipuos *Victorius* admissus est, qui tum probe cognovit, quanta ex iis corporis exercitationibus, quibus adolescens, cum aequalibus suis operam dederat, utilitas proficiscatur (1). Disertissimam vero orationem habuit in *D. Mariae Novellae* Fano (2), qua Florentinorum militum animis stimulos addidit, ut totis viribus labanti patriae succurrerent. Integrum fere annum libertatem constantissime propugnarunt Florentini, imperatorio nomine bellum administrante *Malatesta Baleone*, callido & forti Duce. Binis castris Vrbem obsidebant, a citeriore parte *Aurantius*, ab ulteriore vero *Vastius*, interfluente Arno. At Florentini fame edomiti, tandem deditionem fecerunt, quum ipsorum auxilia, quae ad ferendam opem Pisis adventabant, *Aurantius* in Pistoriensi agro profligasset.

XVI. Itaque conversa fortuna, & constituta Caesarem inter, & Florentinos pace, non multo post *Alexander Mediceus* Reip. Princeps renunciatus est. *Victorius* partium studio ductus, quum se in periculo putaret, in agrum suum Cassianensem, X. ab Vrbe lapide, ad declinandam invidiam secessit, ubi Dialecticae, Philosophiae Naturali, ac Theologicis facultatibus animum biennio adiecit, sub *Francisco Verino* philosopho praestantissimo, quem sibi comitem

adiun-

(1) Multum prae reliquis venationi fuerat addictus, ut ipsemet testatur Lib. IV. Epp. pag. 93. in Ep. ad *Petrum Angelium*, qui *Victorio* Poema suum, cui titulus *Cynegeticon* dono miserat. *Fr. Vict.* l. c. „ Da giovanetto egli fu piuttosto cagionevole, ma togliendo qualche poco di tempo alli studi per i consigli della madre, con gli esercizi vi provvedde, perchè si ritrovava con gli amici qualche volta alla caccia, giocava al calcio, alla palla, maneggiava armi — sicchè mutò complessione, la quale con questa regola mantenne.

(2) *Segni* Histor. Flor. Lib. II. A. MDXXVIII. in Biblioth. *Victoria* Romae haec oratio adservatur.

adiunxerat, quique ingravescente licet esset aetate; ab ipso *Victorio* graecam linguam addidicit (1). Heic & augendae rei familiari sedulam praebuit operam, fundumque suum, militum commeatu labefactatum, more veterum colendum instituit (2). Est quidem studium illud, licet in *Victorio* quamdam civilium rerum molestiam fastidiumque praeseferat (3), universo hominum generi non solum utile, sed & salutare; quumque plurimae artes, ac disciplinae vitam exornent, haec una conservat, & quasi in vita vitam ipsam retinet. Itaque *Victorius* diligenti usus ratione latinos de agricultura libros expolivit, studuitque potissimum, ut ostenderetur, quae cuiusvis plantae esset vis, quae cura adhibenda, ut una cum doctrina, rerum usum utiliter proponeret, atque agrum excolentibus, quiquid quotidianis experimentis perceperat, in publicum deferret.

XVII. Interea *Clemens VII.* notae minus optimae Pontifex, diuturno stomachi vitio tabefactus, obiit VII. Kal. Octob. A. MDXXXIV. Pontificatus A. XI. aet. LVI. male auspicatam imperii sui memoriam relinquens. Ex hoc primum tempore *Victorius*, Adfinium, ipsiusque *Francisci Verini* precibus devictus, Florentiam rediit (4); utque sibi inserviret, & humanum genus singulari adficeret beneficio, cupidissime adgressus est, *Tullii*, & *Ari-*

(1) *Fr. Vict.* „ Richiese M. *Francesco Verini*, che allora per esser chiuso lo studio di Pisa, dove egli era Lettore, si stava ozioso in Firenze, che volessi andar seco, & M. *Francesco* conoscendo la buona natura di *Piero*, accettò l' invito molto lietamente &c. *Petrus Franc. Gallianus* Ep. Dat. Romae XV. Kal. Martias MDXXXVIII. Tom. I. Epp. ad *Vict.* „ *Francisco Verino* summo philosopho, & utriusque nostrum etiam praeceptori, multam salutem meo nomine dici velim.

(2) *F. V. Salviat. Bocchi* ll. cc.

(3) *Cicero* de Senectute §. XV.

(4) *F. V.* „ *Franc. Verini* cominciò con gli altri parenti a pregarlo di ritornarsi alla Città per dar conto di se.

& *Aristotelis* opera in nitorem pristinum vindicare. Huic cupiditati obstabant vehementer, & aetas citerior, quae adeo corruptis codicibus usa erat, ut vix qui tolerabilis esset sensus eliceretur, & licentia superiorum interpretum in corrigendis bonis auctoribus, qui dum labes quasdam delere vellent, saepius graviores maculas invexere; aliorum denique sinistrum deterrimumque consilium, qui ex arbitrio quaecumque non intelligerent, inmutare, ac pervertere consueverant. *Victorius* igitur *Tullii* maculas, quibus inquinabatur, nec non fuliginem illam, qua ipsum longa dies adsperserat, ingenio suo abstergere molitus est, incredibili cura veteres codices inquirendo, sine quorum ope nihil fere huic rei utilitatis adferri potest.

XVIII. Sequutus est teterrimus vitae exitus *Alexandri Medicei*, cui, quum pronus, ac sumtuosus esset in libidines, fraudulenta omnis lenocinii obsequia solerter praestabat *Laurentius Mediceus*, nonnumquam Principem ab effraeni licentia intemperantem, ad sacratas Virgines usque deducens, quibus ipse nefariis amoribus indulgebat. Tum Florentini, qui servitute premi inclementiore videbantur, potuissent se in libertatem vindicare, occultis praesertim *Francisci Victorii*, ac *Francisci Guicciardinii* consiliis in id conspirantibus: at nimium insolenti fortunae cedendum fuit. Vix enim *Alexandro* e vivis erepto, in eius locum *Cosmus Mediceus*, *Io.* ac *Mariae Salviatae* (1) filius, qui erat

(1) Vidi in Archivo *Averardi Salviati Iuliani* Ducis, amplissimi ac literatissimi Principis, orationem cum hoc titulo „ Oratione funerale fatta già & recitata nell' Accademia Fiorentina da M. *Bened. Varchi* sopra la morte dell' Illustriss. & Eccellentiss. Sig. madonna *Maria Salviata de' Medici* madre dell' Illustriss. & Eccellentiss. Sig. Duca di Firenze.

erat tum in Trebia Villa, XVIII. aet. annum agens, suffectus est (1).

XIX. *Victorius* intestina bella conflari animadvertens, statuit, donec Civitas conquiesceret, Romam proficisci (2). Eo itaque advenit A. MDXXXVII. adventante vere, & quid animo volutaret, *Nicolao Ardinghellio*, ac *Marcello Cervinio* amicissimis suis communicavit, a quibus bona spe dimissus, Ianuario ineunte, Florentiam rediit, res domesticas compositurus (3).

XX. Forte exegerat per id tempus suas aliquot in *Tullium* castigationes, quibus illius scriptoris monimenta, si non integra, saltem huiuscemodi effecerat, ut paullatim sublatis maculis, reiectisque quorumdam ineptiis, libenter legi, atque intelligi possint. Ac primo quidem ex occasione quadam, caepit Epistolas ad *Atticum* proprio, & amicorum commodo mendis purgare (4). Quum enim apud *Barptolemaeum Cavalcantium* antiquum illud exemplar vidisset, ab *Angelo Politiano* laudatum (5), quod ab ignobilis cuiusdam Grammatici manibus eripuerat, summa cura, quae in eo discrepabant a vulgari lectione recensuit. Illas vero emendationes ut publica luce donaret, quotidie ab amicis interpellabatur, ac praecipue a *Franc.*

(1) Hic incredibili quadam calliditate Florentinorum animos ita paullatim depressit, ut numquam adtolli amplius potuerint.

(2) In libro, cui titulus *Prose Fiorentine* Part. IV. Vol. I. Epist. legitur *Nic. Ardinghello* missa, qua ei animum suum aperuit, dat. die XI. Iun. MDXXXVII. alia itidem die XXX. Iun. & VI. Iul. ad *Bened. Varchium*. Refert idem *Varchius*, parum defuisse, quin ipsimet *Victorio*, dum per *Salviatas* aedes incederet, caput a quodam milite fuerit amputatum. Hist. Flor. sub A. MDXXXVII.

(3) Vid. *Annib. Cari* Epp. ad *Victor.* Venet. per *Bern. Iunctam* MDLXXXVII. 4. pag. 3. segg.

(4) *Vict.* Epp. Lib. I. p. 5. huc quoque pertinet *Io. Franc. Zeffii* Ep. quae in nostra editione occurrit p. 1.

(5) Miscellan. Cap. XXV.

Franc. Victorio (1), qui eum, ut sub auspiciis *Francisci I.* potentissimi, ac literatissimi Gallorum Regis id faceret, additis stimulis concitabat. Quum enim sibi Regis gratiam conciliasset, dum Lutetiae pro patria Legati munere fungeretur, par labori praemium relaturum *Petrum* non immerito arbitrabatur. Verum ille quum numquam se vendidisset pecuniae, Francorum Regi *Nicolaum Ardinghellum* antetulit (2), qui quum amplissimas fortunas haberet, possetque domi copiose ac laute vivere, non ea eum res tenuit, quominus ad laudem, & decus, posthabitis omnibus commodis, properaret, anteponeretque solicitam, & laboriosam vitam, tranquillae, & otiosae. *Victorius* igitur amicorum precibus devictus, voluit ut eiusmodi castigationes ab *Iunctis* typographis inprimerentur, qui id enixe efflagitaverant (3), quique omnia *Tullii* opera magnifice Venetiis excudere moliebantur. Quae quidem ubi prodierunt (4), dici vix potest, quo erudi-

(1) Huic. *Philippus Iuncta* castigatissimam editionem auctorum de Re Rustica dicavit, Florentiae impressam A. 1521. 4. ,, Praetereo namque illud vetus familiaritatis, & clientelae vinculum, quo maiores mei Domui *Victoriae* iam tum ab ipso exordio arctissime fuere coniuncti, quod unum vel me satis ad id hortari debuisset. Iure igitur cogitanti mihi iamdiu, cui maxime hos de agrorum cultu libros dicatem, tu solus inprimis occurristi, qui a Senatu Flor. missus maximis de rebus Orator, Caesareum Imperatoris munen, tam gravi, ac dulci oratione ad tuae Reip. vota inpulisti, ut re bene gesta, merito te eadem ad *Iulium* prius, tum ad *Leonem* Pont. Max. rursus Legatum miserit, nuperque Roma rediens magna cum tuorum civium admiratione ad Christianissimum Galliae Regem Orator iterum crearis &c. Accedit praeterea *Nicolai Angelii* Buccinensis, tui quondam praeceptoris castigatio &c.

(2) Consulendae sunt Epistolae nuncupatoriae ad *Nic. Ardinghellium* praemissae Tomis I. III. & IV. Operum *Cicer.* ex recensione *Victorii*.

(3) Id aperte testatur *Victorius* in Ep. ad *Nic. Ardinghellium* praemissa Tom. III. operum *Cicer.*

(4) Prodiit haec rarissima editio, quae in Biblioth. Magliab. adservatur, ex officina *Lucae Antonii Iunctae* Venetiis A. 1537. seqq. fol. ut adcurate infra in Catalogo operum *Victorii* videre est.

ditorum plausu, qua *Victorii* commendatione excepta fuerint (1). Quumque bonarum artium cupidis non parum utilitatis, libris illis, adtulisse sibi videretur (2); se quasi teneri est arbitratus, eos etiam, quibus idem auctor philosophiam, & oratorum praecepta tradiderat, meliores reddere (3). Vertebat annus CIƆ. IƆ. XLI. quum post Ratispponensia de Religione comitia, *Carolus V.* Imperator in Italiam celeriter venit, statuitque cum classe, quam maximam aedificaverat, ornaveratque, in Aphricam navigare. Verum antequam ex Italia solveret, *Paullum III.* Pontificem rogat, ut sibi ad Vrbem Lucam adesse velit, mutuis consiliis de indicendo generali Concilio deliberaturus (4). Pontifex, nulla interposita mora, propriaeque saluti minime consulens, ex Vrbe V. Kal. Octobr., egressus per Etruriam iter adripuit, ut breviori via Lucam adtingeret. Quo nuncio adcepto *Victorius* adventanti Pontifici, qua uberrimos Campos Pesa amnis interfluit, obviam ire non praetermisit, ut itidem *Nicolaum Ardinghellum* suum (5), qui Sanctissimo Patri erat a secretis, & libellornm Magister, exciperet. Voluisset Pontifex *Victorium* honoribus auctum secum educere, interque suos familiares habere, quod tamen ne Florentinae Iuventutis institutioni deesset, firmo ac constanti animo recusavit (6). Nec multo post, anno scilicet

(1) Hoc anno *Victor Trincavella* *Hesiodi* opera *Victorio* inscripsit, quae cum graeco scholiaste Venetiis prodierunt in aedibus *Barthol. Caster-zagensis* A. 1537. mense Iun, in 4.

(2) V. Epp. Lib. I. a 9. Ep. ad *Ant. Florebellum*.

(3) Ita *Vict.* Epp. Lib. I. a 5.

(4) V. *Nic. Funsani* Ep. dat. Pistorii VII. Kal. Sept. MDXLI. Tom. I. Epp. ad *Vict.* a 16.

(5) V. Ep. cit.

(6) *Salviat.* Orat. *Pr. Vict.* l. c. ,, Era stato tentato dal Card. *S. Croce* per andare a servire con gran patti Papa *Paolo III.* il quale ci si rimesse due volte, & all' ultima passando per la Val d' Elsa, dove gli era andato a baciare i piedi, accolto con buona cera da Sua Santità

cet CIↃ. IↃ. XLII. Florentinae Academiae Consul plenis omnium suffragiis renunciari meruit, quo quidem munere *Bernardo Segnio* lubentissime cessit (1); quippe qui in his honoris, & dignitatis insignibus nihil commoveretur, a quibus non pauci praestantes viri ita ducuntur, ut etiam desipiant.

XXI. Einde vero animadvertens multa esse loca, maxime in *Tullii* Epistolis, quae nisi aperirentur, obscura futura essent, nonnulla etiam parum certa, & in variis libris varie scripta, quaedam suspecta, alia prorsus mendosa, quae omnino declaranda essent, dum quibusdam inpressorum impedimentis *Ciceronis* opera intermitterentur, censuit quasdam interim adnotationes in parvum volumen conferre, quae obscura inlustrarent, incerta & suspecta ostenderent, depravata & manca indicarent (2). Quibus de rebus factum est, ut in hoc inprobo labore IV. annos insumserit: dederitque in primis operam, ut quae a se inmutata fuerant, constitueret (3). Non pauci voluissent etiam obscuriores aliquot locos inlustrari, quamvis nulla scripturae inmutatio facta esset. Quare, quum sibi proponeret aliorum potius iudiciis, quam suis stare, seposuit deinceps quotidie aliquid, qua

tità ne hebbe dal medesimo *Cervino* assalto grande, il quale gli disse per l' ultimo, che vi pensasse bene, perche vedrebbe cose, che lo farebbero maravigliare, & che si ricordasse di quelle parole di Medea οἶδα γὰρ πολλούς;.

(1) *Salvinus* in libro, cui titulus *Fasti Consolari &c.* ad hunc annum.

(2) Huiusmodi castigationes Venetiis, Lugduni, & alibi excusae fuerunt *Barptolemaeo Cavalcantio* dicatae, Vid. Ep. *Victorii* ad *Varchium* Prose Fior. Part. IV. Vol. I. dat. 19. Luglio MDVL. Conquestus est plurimum *Victorius* cum *Seb. Gryphio*, quod hae castigationes non satis diligenter emendatae e Lugdunensi suo typographio prodierint. Epp. ad *Vict.* T. I. p. 51.

(3) V. Ep. *Victorii* ad *Ant. Florebellum* Card. *Salviati* familiarem d. III. Non. Iul. MDXXXVII. V. Ep. ad *Cavalcantium* castigationibus praemissam, iudiciumque *Io. Alb. Fabricii* Biblioth. Latin. T. I. Lib. I. p. 8.

Ciceronis opera, a foedissimis maculis, quibus inquinabantur, purgaret (1). Additus est etiam labor, nonnulla, quae olim animadverterat, confirmandi. Perlatus siquidem illi fuerat liber Venetiis a *Paullo Manutio* recens inpressus, Epistolarum, quas familiares vocant, in quo scholia quaedam inerant, quae contra ipsum, iudiciumque suum studiose facta videbantur (2): invidia siquidem, communi humanae gentis vitio, quod suae detractum sapientiae crederet, quidquid adcessisset alienae. Itaque *Victorio*, licet homo esset sine factione, commodum visum est, de illis rebus, in quibus reprehendebatur, iterum disputare. Sed quum gravissimum iudicium sit secus de se, suisque rebus iudicare, *Victorius* antequam posteriores hasce castigationes in vulgus ederet, eas *Francisci Campani*, *Franc. Robortelli*, *Donati Iannottii*, *Ludovici* Fanensis, *Franc. Mariae Molzae*, aliorumque doctorum hominum censuram subire maluit (3).

XXII. Dederat iam *Victorius* multa ingenii sui monumenta, quum factum est, ut ex magna rerum perturbatione Florentina Respublica tranquilla pace frueretur. Quare agi caeptum est de literarum studiis, quibus, ut consuleretur, & ratio iam temporum hortari, & hominum voluntas postulare videbantur. Quum res multae multis de rebus sta-

(1) V. Ep *Vict.* ad *Franc. Campanam* d. VI. Eid. Sept. MDXL. Epp. Lib. I. p. 12.

(2) *Victor.* in Ep. ad *Ben. Varchium* Prose Fior. P. IV. Vol. I. p. 8. „ Ora intendo da voi una cosa che mi è molto nuova, che egli, idest *Paullus Manutius*, si tiene offeso da me per certe cose, che dice toccano lui nelle mie annotazioni. A me certo pareva, se non altro in questi miei scritti aver conseguito questo, che non sarei tenuto maledico, ne di mala natura &c. V. Ep. *Robortelli* dat. V. Kal. Febr. MDXL. Epp. ad *Vict.* T. I. p. 11.

(3) Variar. Lection. Lib. XXV. Cap. VIII. V. Ep. ad *Varch.* Prose Fior. l. c. dat. XXI. Octob. MDXL. Ep. ad *Franc. Robortellum* dat. Kal. Febr. Lib. I. Epp. p. 14.

ſtatuerentur, quaeſitum eſt a viris graviſſimis, ut vir doctus reperiretur, qui Florentiae latinos, graecosque ſcriptores exponeret, & iuventutem optimis artibus inſtitueret. Vniverſi, quibus id mandatum fuerat, in eo maxime conſenſere, ut literariae huic palaeſtrae *Victorius* praeficeretur. Quare neceſſariorum conſilio CCC. aureorum numûm ſtipendio publice conductus, hoc nobiliſſimum delatum onus non invitus ſuſcepit (1), quod elapſis retro temporibus ſcitiſſimis undequaque viris fuerat demandatum.

XXIII. Ac primo quidem de Tuſculanis *Tullii* Quaeſtionibus praefari voluit (2); & quoniam multi graecas quoque artes ex graecis ſcriptoribus adſequi concupiverant, noluit honeſtae ipſorum voluntati deeſſe, ideoque *Sophoclem* maxime, graviſſimi, ac nobiliſſimi poematis auctorem praelegit (3). Inſequenti anno *Vergilii* Georgica, & *Ariſtotelis* libros de arte dicendi ſtatuit interpretari (4), ex quorum lectione incredibilem quamdam utilitatem erui poſſe intelligebat. Itaque in ſingulos annos, optimos tam graeci, quam latini ſermonis auctores, tanta nominis ſui celebritate declarabat, ut ad eum audiendum, non ex Etruria tantum, ſed etiam e remotiſſimis Europae plagis ſtudioſorum turba confluerет (5), quae docentis

d 2 co-

(1) V. Ep. *Petri Franc. Galliani* D. Rom. XV. Kal. Mar. MDXXXVIII. a nobis editam T. I. Epp. ad *Victor*. Id quoque habetur ex Cod. Bibl. *Magliab*. Cl. XXIX. N. 98. cui titulus „ *Repertorio di cose attenenti al Magiſtrato Supremo di Gio. Tozzetti* p. 1. „ *Fr. Victor.* addit „ e tra gli altri andandolo a trovare *Palla Rucellai*, e *Gio. Corſi*, huomini reputatiſſimi, diſſe il *Corſi*, che queſta era ſtata una delle belle reſoluzioni, che haveſſi fatta il Duca, e *Palla* ſoggiunſe il medeſimo. Vid. etiam *Philippum Valorium* in libello inſcripto „ Termini di mezzo rilievo &c. p. 9.

(2) Orat. I. p. 1.

(3) Ibidem.

(4) Orat. II. & quae ſequuntur.

(5) *Bruckerus* l. c. Tanta enim doctrinae copia, tanta dexteritate docuit, ut qui eius inſtitutione gauderent, feliciſſimi reputarentur. Vid. *Caſae* Ep. ad *P. Vict.* inter *Caſae* opera vernaculo ſermone conſcripta, ac Florentiae impreſſa A. MDCCVII.

comitate, ingenuis moribus, & ea, qua plurimum valebat eruditione ducebatur. Nec eo tantum prospexit, ut auditores sui graecam latinamque dicendi facultatem praeceptis addiscerent, sed optima veterum Scriptorum exempla, quae in dies ab interitu vindicabat, studiose ipsis proponebat, inter quae *Demetrii* potissimum *Phalerei* de Interpretatione liber occurrit (1).

XXIV. At quum maxima sit eorum felicitas, qui iuventutem excolunt, ut propriam in discipulis imaginem intueantur, talesque industria, & arte sua efforment, ut praeceptorum gloriam aeternis consignare monimentis valeant; id prae reliquis *Victorio* contigit. Ex eius enim celeberrima schola non pauci prodiere, qui praeceptoris famam, si non superasse, saltem aequiparasse videantur. Digni in primis nostro praeconio sunt, *Benedictus Varchius* (2), *Hieronymus Meius* (3), *Barptolemaeus Barbadorius* (4), *Franc. Serdonatus* (5), *Vincentius Borghinius* (6), *Ioannes Gondula* Ragusinus (7), *Ludovicus* (8), & *Sebastianus Antinorii* (9), *Silvester Aldobrandinus* (10), *Iac. Marchesettus* (11), *Hannibal Oricel-*

(1) V. Ep. ad *Franc. Davanzatum* Epp. Lib. 1. p. 22.

(2) V. *Varch.* Vitam cit.

(3) Variar. Lection. Lib. XXV. Cap. II. & Lib. XXXVI. Cap. XI.

(4) Ibid. Lib. XX. Cap. XIX. In schedis suis Class. IX. Cod. XIII. p. 6. haec habet *Magliabechius* ,, Monsig. *Olstenio* mi scrisse, che stimava, che *Bartolommeo Barbadori* fosse stato uno de' più intendenti della lingua Greca, che abbia mai avuto Firenze.

(5) Ibid. Lib. XXXIV. Cap. II.

(6) V. Epist. *Borghinii* Tom. I. Epp. ad *Vict.* p. 23. seqq.

(7) V. Ep. *Ambr. Nicandri* ibid. p. 38.

(8) Id eruitur ex Ep. MS. *Dion. Lippi* de qua inferius.

(9) Epp. ad *Vict.* T. I. p. 106.

(10) Ibid. a 107

(11) In Bibl. *Magliab.* Class. XXI. Cod. Chartac. XXIII. in 4. legitur ,, *Plutarchi* sermo de sera numinum vindicta *Iacobo Marchesetto* Interprete Florentino, ac *P. Victorii* infimo discipulo. XXII. Kal. Apr. MDXLI.

cellarius (1), *Alamannus* (2), & *Leonardus Salviati* (3), *Angeli Guicciardinii* filii (4), quorum unus forte est *Hieronymus Guicciardinius*, cui *Victorius Sallustium* inscripsit (5), *Laurentius Strozza* (6), *Simon Rocca* (7), *Franciscus Davanzatus* (8), *Franc. Boncianus* (9), *Franc. Spinus* (10), *Frater Adamas* Flor. Eremitanus (11), *Laurentius Minorus* (12), *Io. Ant. Sero* (13), *Philippus Rodulphus* (14), *Riccardus Riccardius* (15), *Io. a Falgano*

(1) Lib II. Ep. 57.

(2) Inter Epp. MSS. nonnullae *Alamanni* leguntur ad *Victorium*, exercendi stili gratia, exaratae, dat. praesertim Pisis A. MDLVII. In una vero dat. e Senzano VIII. Eid. Sept. MDLVII. haec habet ,, Habeo enim te parentis loco: & nunc conquerar tecum de infortunio meo, quod mihi evenit. Sine *Borrio* enim heic sum, quum illi necesse fuerit Florentiae aliquot dies permanere, ob infirmam *Iac. Salviati* valetudinem &c. ,,

(3) *Salviati* Orat.

(4) Epp. Lib. IX. a 198.

(5) Florentiae prodiit typis *Iunctarum* A. MDLXXVI. 8.

(6) Ibid.

(7) Epp. Lib. X. 216.

(8) In Ep. MS. *Phil. Rodulphi* ad *Vict.* dat. Pergulae IV. Eid. Aug. MDLX. ,, Antequam Roma discederem, ut ad Pergulense meum proficiscerer, apud me *Franc. Davanzatum*, tum graece, tum latine eruditissimum accepi, ut eius opera in literis uterer ,, eum mihi tuum discipulum agnoscere videor. Is mihi libros *Aristotelis* de vita & moribus, ac *Ciceronis* libros de Oratore perdiligenter adcurateque interpretatur. Quamobrem intra duos menses Patavium, graviorum studiorum caussa, cogito. ,, Vid. etiam Epp. ad *Vict.* T. I. p. 54. seqq. In Ep. quam omisimus dat. Ferrariae VIII. Kal. Ian. MDXLVI. ait ,, Nos vero, qui tui discipuli aliquando fuimus &c. ,,

(9) Id eruitur ex eius Ep. MSS. in Bibl. Laurent. Pl. XCII. Cod. 94.

(10) Ep. ad *Vict.* Tom. I. p. 41. seqq. Inter Epistolas MSS. a nobis praetermissas, quamplures extant eiusdem *Spinii* ad *Victorium* datae, dum in Pisana Academia gravioribus studiis sedulam operam navaret.

(11) Id adparet ex Ep. MSS. dat. Patav. IV. Non. Sept. MDXLIX.

(12) In Ep. MSS. eiusdem *Minori*, beneficia, quae a *Victorio* adceperat, fuse commemorantur dat. Pisis Kal. Febr. MDLIII.

(13) Id innuimus ex Epp. quas omisimus, praecipue ex una dat. VIII. Kal. Ian. MDLIV. alteraque dat. Flor. IV. Non. Dec. MDLIV.

(14) Eius exstant plures ad *Vict.* Epp. a nobis omissae, ex quibus adparet inter *Victorii* discipulos esse recensendum. Datae A. MDLVI.

(15) Cll. *Lamius* in Vita *Ricchardi* Flor. MDCCXLVIII. p. 17. Idem *Victor.* in Epp. ad Germanos, & alibi.

gano (1), *Dionysius Lippius* (2), *Augustinus Paganellus* (3), *Petrus Ardinghellus* (4), *Antonius Angelius* (5), *Io. Baptista Nobilius* (6), *Iacominii* tres (7), *Fabius Segnius* (8), *Marcus Ant. Flaminius* (9), *Cosmus Concinius* (10), *Erophilus Flaminius* (11), *Marius Maphaeus* (12),

Ho-

(1) In Ep. MSS. dat. Macerataе XVIII. Kal. Febr. MDLXIV. ita *Victorium* adloquitur „ Quod te, cuius voce vox haec mea fluere aliquando didicit &c.

(2) *Magliab.* in Sched. Class. IX. Cod. VIII. p. 10. „ Visse *Dionisio Lippi* nel MDLXXXVI. e scriveva assai bene nella lingua latina. Era Piovano di Castel Fiorentino, ed ò manoscritta la Zanzara di *Virgilio* tradotta dal medesimo in versi sciolti.

(3) Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 153. Variar Lect. Lib. XXXVIII. Cap. VIII. Multae sunt *Augustini Paganelli* Epp. MSS. exercitationis gratia ad praeceptorem suum exaratae. *Franc.* vero *Victorius* l. c. haec de eo memoriae prodidit „ *Agostino Paganelli* „ venendo a morte lasciò l' usufrutto d' un podere, & *Piero* accettatolo, & godutolo non molto tempo, lo rese liberamente a *Niccolò* fratello di chi l' haveva lasciato. „

(4) Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 56.

(5) Var. Lect. Lib. XXXVIII. Cap. XV. Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 72.

(6) Id patet ex eius Epist. MSS. ad *Victor.* XV. Kal. Octobr. MDLX. Ex Vezzanensi rusculo.

(7) Variar. Lection. Lib. XXXII. Cap. XIII.

(8) *Fabius Segnius* dum ruri degeret, se in carminibus pangendis exercebat, eaque *Victorii* iudicio subiiciebat, ut apparet ex eius Ep. MSS. dat. ex Suburbano V. Kal. Octobr. MDLXIV.

(9) Vid. *Flaminii* Vitam, eius Operibus praemissam, & Patavii editam per *Ios. Cominum* MDCCXXVII. p. 14.

(10) *Ant. Ricob.* in Ep. *ad Vict.* MSS. d. Patav. N. Iun. MDLXXXV. „ *Cosmum Concinium* juvenem generosum, egregiis animi bonis perornatum, doctrinae tuae alumnum, te ipso auctore dignum &c.

(11) Epp. Lib. IX p. 204.

(12) Epp. Lib. VI. p. 139. & 141. In Ep. eiusdem, quam omisimus dat. Volaterris XI. Kal. Aug. MDLXVII. haec habentur „ meque tibi in perpetuum devinctum agnosco, atque confiteor. Paucis vero post diebus, ut tuis amantissimis, atque sanctissimis praeceptis paream, ad *Aristotelis* Logicen me totum conferam. Inveni enim civem nostrum *Io. Bapt. Incontrium*, philosophorum nostrae urbis facile principem, quem tibi bene esse cognitum, compertum habeo &c. „

Horatius Cardanetus (1), *Io. Bapt. Strozius* (2); *Ant. Longus* (3), *Albericus Longus* (4); *Alexand. Rinuccinus* (5); *Lucas Antellensis* (6), *Cambius Minervettus* (7), *Bellisarius Bulgarinus* (8), *Augustinus Cottutius* (9), *Ant. Benivienius* (10), *Iulius Stupha* (11), *Baccius Valorius* (12), *Iac. Corbinellus* (13), *Petrus Maphaeus* (14), *Gulielmus Puccius*, *Laur. Lentius*, *Vgolinus Martellus* (15), *Marcellus Tutus* (16), *Io. Caselius* (17), *Ar-*

(1) In eius Epist. ined. ad *Victor.* dat. Perusia XII. Kal. Ap. MDLXV. ,, Quum Senas profectus essem, ut *Iacobum Grifolum* praeceptorem meum viserem, cur non id etiam laboris sumerem, vel voluptatis potius, ut istuc me conferrem, unius *Victorii* mei item praeceptoris; videndi gratia? ,,

(2) Vid. Epist. nuncupatoriam, quam *Io. Baptistae Strozzae* nepoti suo inscribit *Io. Bapt. Strozza*, ante *Victorii* versionem Poetices *Aristotelis* Florentiae apud *Iunctas* MDCXVII. in 8.

(3) Lib. I. Epp. p. 11. & Lib. III. p. 91.

(4) Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 70.

(5) Ep. ined. dat. Pisis IV. Eid. Dec. MDLXXIX.

(6) Ipsemet id testatur in Epp. MSS. p. 395. dat. Romae IX. Kal. Sept.

(7) Ibid. Epp. inedit. p. 397.

(8) Inter *Victorii* discipulos esse adscribendum videtur, ex Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 51.

(9) Ibid. Tom. 1. p. 70. at dubius locus.

(10) Ibid. p. 120.

(11) Ibid. p. 121.

(12) Ibid. p. 119.

(13) Ibid. p. 123. In Ep. ined. dat. Pisis VII. Eid. Mai. MDLIX. ,, id quod iam antea ex sermone tuo quotidiano, quem saepe cum familiaribus usurpasti compertum habeo. ,,

(14) Ibid. p. 134.

(15) Id erui potest ex Ep. ined. *Pauli Magnoli* Dat. Patav. III. Kal. Iun. sine anno Epp. ined. p. 426.

(16) In Ep. MSS. ad *Victor.* dat. Montosoli III. Eid. Maii MDLXVI. ,, Nolim te arbitrari, me oblitum officii mei, meritorumque tuorum erga me, nullas ad te literas dedisse ex eo tempore, quo a tuo digressu, idest a tuis laribus in meum Ilicinense veni &c. ,,

(17) Id plures Epistolae a nobis editae testantur. *Io. Andr. Quenstedt* in Dialogo de patriis illustr. Viror. Wittemb. MDCLIV. p. 315. ,, *P. Victorium* Oratorem, Philosophum, & Antiquarium clariss. qui *Caselium* communem Academiae Iuliae praeceptorem, discipulum habuit. ,, Vidi in Bibliotheca *Stoschiana* libellum in 4. cui titulus ,, *Iacobi Burckardi* Epistola ad *Iu-* ,, *stum*

Arnoldus Arlenius (1), *Ioachimus Baſſevitius* (2), *Theopinus Rhodomontius* (3), *Andreas Noſcovius* (4), *Enricus Bremenſis* (5), *Bernardus Bugenhagius* (6), *Botuitus Nericius* (7), *Otho Haemius* (8), *Gotislobus Rotermundius* (9). *Samuel Fabricius* (10), *Ioachimus Hanaius* (11), *Cornelius Doncellinus* (12), *Io. Salcinius* Polonus (13), *Iulius a Komerſtadt* (14); *Barthelus Richius* (15), *Melchior Proethachius*,

ſtum Chriſtoph. Boehmerum &c. de *Io. Caſelii* praeclaris erga bonas literas meritis. Wolfenbuteli MDCCVII. 4. in quo multa de *Petro Victorio*, *Caſelii* praeceptore habentur. Vid. Acta erudit. Lipſiae menſis Feb. A. MDCCVIII. p. 91. *Caſelius* in Ep. MSS. dat. Roſtochio prid. Eid. Nov. MDLXVIII. ,, Scripſeram, & ad te, & ad ſodales iſtic noſtros, quorum conſuetudine periucunde uſus fueram, neque memoriam ex animo dimittere meo, aut debeo, aut poſſum, ad *Oricellarium*, ad *Richardium*, ad *Maphaeum*, ad *Franc.* Nepotem tuum &c. V. var. lect. Lib. XXXI. C. 23.

(1) Vid. Praefat. ad Commentar. *Demetrii Phalerei* Epp. Lib. V. p. 123.

(2) Lib. II. Epp. *Victor.* ad German.

(3) Epp. Lib. V. p. 111.

(4) Epp. Lib. VI. p. 139.

(5) Eius Ep. MSS. dat. Romae IIIX. Eid. Apr. MDLXX. incipit: Non me fefellit opinio, vir eximie, idemque praeceptor optime &c. ,, Vid. Ep. Lib. VII. p. 162.

(6) Epp. ad *Victor.* T. I. p. 135.

(7) Ita in Ep. MSS. ab eo dat. Roma VI. Eid. Iun. MDLXXII. p. 270.

(8) Vid. Ep. MSS. ad *Victor.* dat. Lipſiae IV. Eid. Oct. MDLXIV. *Barth. Richius* in Ep. MSS. ad *Vict.* dat. Wolferbito MDLXVIII. ait ,, *Ottonem* ab *Heim* diſcipulum tuum laudari abs te laudato viro, laetor. ,,

(9) Vid. Epp. ad Germanos Lib. I.

(10) Ibid. & Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 135. Quamplures eiusdem extant Epp. inter eas, quas praetermiſimus, in quibus *Victorium* ſemper praeceptorem ſuum adpellat.

(11) In Ep. MSS. ad *P. Victor.* dat. e Giverſiano XVI. Kal. Quinct. MDLXVIII. ,, Nonne beneficia ea ſunt, quae a te adcepi? An non enim beneficium eſt optimarum artium communicatio &c. ,, Vid. *Victor.* Epp. ad Germanos Lib. I. Epp. ad *Victor.* T. I. p. 135. 157.

(12) Epp. ad *Victor.* T. I. p. 84.

(13) Ibid. p. 161.

(14) Ibid. p. 162. & in Epp. ined.

(15) Ibid. p. 166.

chius (1), *Daniel Schulemburgius* (2), *Io. Sambucus* (3).

XXV. Cognitum quoque est, *Franc. Campanam Cosmi* M. E. D. a Secretis, numquam, quoad vixit, quoties *Victorius* publice doceret, defuisse (4). Quod raro prorsus exemplo fecerunt & *Alexander Farnesius* (5), & *Franc. Maria* Vrbini Regulus, quorum alter, Florentia discedens, quum argenteum *Victorio* vas aureis nummis refertum dono misisset, primo constantissime recusavit, deinde idem munus iterum sibi missum, quum non valeret pertinacius reiicere, quod simile quid de *Xenocrate* legerat, retento vase, aureos nummos remisit (6). *Franciscus* vero Vrbinas (7), cui

(1) In Ep. ined. *Seb. Reguli* dat. Bononiae IX. Kal. Febr. MDLVII. ,, *Melchior Proetbachius*, qui tibi has literas reddidit, est mihi perfamiliaris: iam enim totum biennium Bononiae mecum vixit, quem novi iuvenem, divitiis, nobilitate, & doctrina ornatum. Is venit istuc tui fama adlectus &c. ,, Ego heic publice doceo literas, quas vocant humaniores, quam ad rem magno mihi sunt adiumento scripta tua, & adnotationes in graecos, & latinos auctores &c. ,,

(2) In eius Ep. MSS. ad *Victor.* dat. ex Marchia Brandemb. Eid. Mar. MDLXVIII. ,, Animo saepius alpes traiiciens, memoria dulcissimae consuetudinis, qua doctissimo sermone mentem pectusque meum frequentius erudiebas &c. ,, Idem in altera Ep. dat. Bezendorpio IV. Kal. Apr. MDLXIX. ,, Dulcissimae consuetudinis nostrae, & colloquiorum iucundissimorum, quibus quum Florentiae apud te essem, magna cum voluptate, nec sine fructu fruebar &c. ,,

(3) Praeceptorem suum adpellat *Victorium* in Ep. quam in *secundo* Tomo proferemus dat. Viennae Eid. Novemb. MDLXIX.

(4) *Bocchius* in Eleg. Lib. I. pag. 47.

(5) Epp. Lib. IV. Ep. I. & XIII.

(6) *Salviat.* l. c. Rem fusius persequitur *Franc. Victorius*, additque ,, E dal medesimo Cardinal *Farnese*, mutata la causa del dare, ha poi accettata buona somma, che risguardava le Nipoti, & dal Duca di Urbino ricevè una degna Collana di oro, & prima dal medesimo haveva ricevuto un honorato ornamento per una camera, nel quale acconciamente erano ritratte le imprese di *Piero*.

(7) Florentiam venit post An. 1574. quo *Guido Vbaldus* eius Pater obiit, ut ipse testatur in Commentariis de Vita sua MSS. In Cod. *Riccard.* Pl. V. ord. II. n. 14.

mens alta inerat, & in viros doctos summa propensio, aureo torque *Victorium* decoravit, aliudque addidit munus, in quo viri doctissimi gesta singulari artificio exprimebantur. Ab aliis quoque Germaniae, Galliae, atque Italiae Regibus, ac viris principibus pretiosa munera illi ultro fuere delata, eximii Codices, aurea numismata, aliaque vetustatis monimenta, quae deinde amicis suis pari, sed insueta in doctis hominibus largitate, conferebat (1).

XXVI. Haec dum ille cogitaret, atque ageret, *Io. Casa* Romanae Aulae Praesul, *Paulli III.* Pont. Max. nomine Florentiam venit, ut de decumis a clericis in singulos annos pro Pisanae Academiae instauratione solvendis ageret. Huic *Marcellus Cervinius* (2) amplissimus Cardinalis mandaverat, ut *Victorium* adiret, eumque suis verbis rogaret, ut promissi memor *M. Catonem* expoliendum (3) susciperet. Quare *Casa*, vix hominem salutavit, tanta in re Cardinalis procuranda animi alacritate est usus, ut *Victorius* temporis tarditatem munere aliquo duxerit compensandam. Veteres enim suos in *M. Catonem* labores retractavit, statuitque cunctos, qui de rebus rusticis latine scripserunt, quique in squalore, & sordibus iacebant, ope *Io. Case-*

(1) *Salviat.* l. c. Ac revera in libris, quos selectissimos habebat, consueverat propria manu adscribere „ PETRI IACOBI VICTORII ET AMICORVM. Vid. eruditiss. Dissertat. *Franc.* Equitis *Victorii* de Sanctis VII. Dormientib. p. 49. not. 5. Alias legitur *P. Victorii* καὶ τῶν φίλων, καὶ τῶν φίλων κτημὰ, Πετρυ τῦ Βιχτορίυ, καὶ τῶν φίλων καὶ τῶν, quasi diceret, & aliorum quoque, praeter amicos. Qui quidem generosi animi vigor, veluti hereditario iure in *Iacobum*, aliosque nobilissimae *Victoriae* familiae eruditissimos viros ad nostra usque tempora promanavit. Inter Carmina *Petri Gherardii* edita Flor. per *Car. Pectinar.* 1571. 8. p. 64. Carmen legitur, cui titulus „ Ad Musas de dono *P. Victorii*.

(2) Is unus fuit ex doctissimis illis Patribus, qui Tridentino Concilio interfuerunt.

(3) Epp. Lib. I. p. 15. ad *Marc. Cervinium*.

ſelii (1), & *Hioachimi Baſſevitii* (2), cum antiquis Codicibus conferre (3), & animadverſionibus illuſtrare (4).

XXVII. Per id quoque tempus in eliciendis abſtruſioribus *Ariſtotelis* ſenſibus diligentiam, ac fidem omnem conſumſit, ut omnia, quae praeſertim in libris de arte dicendi (5) perobſcura, & corrupta erant, evelleret, atque extirparet. Quod ut adſequeretur, ingentem manuſcriptorum Codicum vim, & Florentiae & e multis Italiae oppidis eduxit. Duos autem emendatiores ex omnibus nactus eſt, quorum alter non ſatis antiquus, at bonus *Franciſci Puccii*, docti hominis, *Pontani* familiaris quondam fuerat; alter vero, qui reliquos vetuſtate, & fidelitate antecellebat, *Nicolai Rodulphi* Cardinalis integerrimi, atque eruditiſſimi erat (6). Veterem quoque verſionem diligenter inſpexit, & quam ſcripturam ſuo in exemplari auctor ipſius habuerit, inde recognovit. Quumque ea, multis ante ſeculis, quum *Ariſtotelis* libri integriores cir-

(1) V. Ep. nuncupatoriam huic editioni praemiſſam, itemque *Victorii* Ep. ad *Varchium* Proſe Fior. P. IV. Vol. I. & Variar. Lection. Lib. XXXI. Cap. XXIII.

(2) Variar. Lect. Lib. XXXIV. Cap. XXII.

(3) Confer *Fabricium* Bibl. Latin. Tom. I.

(4) Tunc fortaſſe *Caſa* pro *Victorio* Bononienſibus S. Dominici Monachis ſpopondit, ut ii vetuſtiſſimum *Euſtathii*, in *Homeri* Iliada Commentarium eidem commodarent, quum illud edere moliretur. Vid. *Victor.* Ep. ad *Varchium* Proſe Fior. l. c. quam etiam *Alexander Politus* protulit in Praefat. ad *Euſtathii* Tom. II. p. 4. Per id quoque tempus Card. *Bembus* hanc *Victorio* Ep. dedit „ Ho inteſo che avete in caſa un giovane, il quale ha recato di Germania molta parte della iſtoria di *Velleio Paterculo*, che inſino a quì non ſi aveva. Il che, ſe è vero, arei caro ſapere quanta parte di detta iſtoria è quella, che colui ha recata, e ſe fate penſiero di farla dar fuori, & vi prego a darmene un poco di contezza. Io ſono tutto tutto voſtro, come merita la voſtra molta virtù, & ſingolare dottrina. Salutatemi il *Varchi*, & ſtate ſano. Alli V. di Febr. MDXLVI. di Roma. *P. Card. Bembo.*

(5) Eos publice praelegit Annis MDXL. e MDXLI. V. c. Ep. ad *Varch.*

(6) V. Praef. ad Lectorem.

cumferebantur, confecta fuisset, invenit illam plerumque concordem cum optimo Codice, de quo supra meminimus. Praeterea multis in locis, ubi de lectionis varietate, ac de sententiarum obscuritate ambigebatur, iudicio optimi ac doctissimi viri *Franc. Medicei* utebatur, qui operis huiusce formam inpolitam adhuc & rudem viderat, quidque sibi de tota re, plurimisque ipsius partibus videretur, cum eo amicissime contulit (1). Prodiit itaque *Aristotelis* liber de arte dicendi, Graece, & Latine cum amplissimis *Victorii* commentariis A. CIƆ. IƆ. XLVIII. (2) *Cosmo Mediceo* inscriptus, quem Praesuli opulentissimo praetulit, qui ut sibi operis huiusce nuncupationem aucuparetur, duo aureorum numûm millia *Victorio* obtulerat (3).

XXVIII. Inter haec venit ad eius manus *Euripidis* Electra, quae diu situ carieque obsita latuerat. Quare ei visum est illam ab interitu vindicare, & ad *Nicolaum Ardinghellum* mittere, ut si ita censeret,

(1) Id testatur in Praef. ad Lector. *M. Ant. Antimachus* vir bonis ornatus literis, quum *Victorii* explicationes in hos *Arist.* libros vidisset, Epigramma graecum in Auctoris laudem conscripsit, quod a *Franc. Davanzato* accepit *Victor.* Epp. ad *Victor.* T. I. p. 61. V. etiam Ep. *Io. Bapt. Giraldii* ibid. p. 85.

(2) Editionem hanc A. MDLXXIX. recudit *Victor.* Magno Etruriae Duci *Francisco* nuncupatam. His aliisque *Aristoteli* pene conrupto beneficiis conlatis, maximum interpretis nomen adsequutus est. V. *Ant Teisserum* Elog. des Hommes sçavants T. I. *Bocchi* l. c. inter *M. Ant. Flaminii* Carmina, carmen in operis huiusce laudem legitur.

(3) *Franc. Victor.* l. c. „ Della roba non ne appetì mai, anzi recusò qualche volta de' donativi: apparse questo manifestamente, quando egli scrisse sopra la Rettorica, perchè un ricchissimo Prelato, che era in Firenze, & vedeva quanto questa fatica era desiderata, perchè poco si leggeva questo libro, & i duoi primi erano reputati difficilissimi, & il terzo inintelligibile, & perocche ciaschuno lo vedrebbe, harebbe voluto, che *Piero*, gliela indirizzassi, & ne fece tanta diligentia, che gli offerse dumila scudi di donativo, ma per questo non fu rimutato.

ret, aliis legendam, ac formis quoque excudendam daret. E tenebris autem hanc tragoediam primum eruerunt eruditi adolescentes cives nostri *Barptolemaeus Barbadorus*, ac *Hieronymus Meius*, e vetustissimo Codice inter medias eius Poetae fabulas interiectam, quum vetera exemplaria, ut iam editas multis erroribus confectas cum illis conferrent, undique conquirerent, ac sedulo pertractarent (1). Ceterum Romae excusa fuit, *Nicolao Ardinghellio* nuncupata, literis datis Kal. Maii A. CIↃ. IↃ. XLV. Non defuere tamen, qui crederent, fabulam hanc fuisse a *Victorio* ex ingenio confictam; at multis adlatis rationibus, ac veterum testimoniis, quam ii vehementer aberrarent, omnibus palam fecit (2).

XXIX. Interim vero animadvertens, suos Graecarum Literarum studiosos laborem omnem ac molestiam libenter ferre; tantumque iam profecisse, cognitis oratoribus, ac poetis, ut gravioribus rebus percipiendis ea lingua scriptis idonei viderentur, suum esse putavit, illos ad eas literas veluti manu deducere, quibus non linguam tantum expolire, sed cor etiam pectusque excolere, atque omni virtute cumulare possent. Huic rei perficiundae *Aristotelis* libros de Vita & moribus, elegantissime scriptos, aptos esse iudicavit (3). Quumque *Aristotelis* excusi li-

(1) Id eruitur ex Ep. a *Victorio* huic editioni praemissa Epp. Lib. I. p. 19. V. *Fabricium* Bibl. Graec. Lib. II. C. XVIII. Acta Eruditor. Lipsiae A. MDCCI. p. 503.

(2) Vid. *Nicandri* Ep. T. I. Epp. ad *Victor.* p. 39. eiusdemque responsum Epp. Lib. I. p. 19.

(3) In MSS. Cod. *Magliab.* Cl. XXIX. Cod. 98. inscripto „ Repertorio di cose attinenti al Magistrato Supremo di *Gio. Tozzetti* p. 118. „ haec habentur „ Elezione di *Piero* di *Iacopo Vettori* nel dì 10. Aprile MDXLVIII. a leggere per anni tre due lezioni; l' Etica di *Aristotile* nella lingua greca, & un Poeta, o Oratore a suo beneplacito con salario di ducati 3000. l' anno. V. Epp. Lib. I. p. 28.

libri mendosissimi essent, noluit eos uno tempore tot tantisque molestiis conflictari. Quare quae potuit vulnera sanavit, curavitque, ut sublatis maculis, A. CIƆ. IƆ. XLVII. nitidiores inprimerentur: non pauca enim verba, ac totas sententias restituit: nonnulla etiam, quae quum scholia, & declarationes quondam fuissent, inportunae in verborum seriem inrepserant, e non sua sede exturbavit (1).

XXX. Haec dum a *Victorio* magna cura, ac diligentia aguntur, *Cosmus Mediceus*, de ornanda instruendaque Vrbe, item de tuendo, ampliandoque imperio solicitus, *Bernardo Tasso* Architecto usus (2), Porticum transverso columnarum ordine undique permeabilem, adversus omnem caeli contumeliam negotiantibus in foro extruxit. Quare ne tanti beneficii memoriam ulla obliteraret vetustas, *Victorio* ut inscriptionem ibi conlocandam exararet, mandatum est (3). Praeterea idem munificentissimus Princeps Laurentianam Bibliothecam a *Clemente VII.* Pont. Max. inceptam iam fere absolverat (4). Hinc nondum editos Codices, nitidissimis formis studiosis hominibus solicitus inpertiri, *Laurent. Torrentinum* e Germania Florentiam evocavit, ut typographicam officinam constitueret; ac *Victorio* postmodum auctor fuit, ut veteres Graecos, ac Latinos scriptores ope huius pretiosissimae supellectilis in publicum deferret. *Victorius*, ut tam honestae Principis sui voluntati obsequeretur,

qua-

(1) V. Ep. cit.

(2) *Bocchius* in libro, cui titulus „ *Bellezze di Firenze ec.*

(3) Vt Principis sui voluntati faceret satis, decem diversas Inscriptiones exaravit, quae in authographa *Victorii* Ep. ad *Cosmum Mediceum* leguntur in Cod. Chartac. *Magliab.* Cl. XXV. n. 112.

(4) Celeberrimae huiusce Bibliothecae historia a nobis vernaculo sermone conscripta vertente hoc anno, ut spero, in lucem prodibit.

quatuor interim *Porphyrii* libros de non caedendis, devorandisque animantibus edidit, alterumque itidem ipsius libellum adiecit, quo quaestiones nonnullae subtiles gravesque de divinis rebus ex *Platonis* decretis continentur, necnon declarationes *Michaelis Ephesii* in quatuor libros de partibus animalium (1).

XXXI. Supra millesimum agebatur A. DXXXXIX. quum *Io. Mar.* Cardinalis a Monte *S. Sevini* renunciatus est Pont. Max. sibi *Iulii III.* nomine adscito. Incredibile dictu est, qua laetitia *Victorius* pro vetere suo erga illum amore & observantia adfectus fuerit, quare literas Pontifici dare, quibus de adepta suprema dignitate gratularetur, non praetermisit (2). Exinde vero, quum moris esset nostrae Civitatis statim Pontifice maximo declarato, ad eum Legatos mittere, qui doceant, se fore in eius potestate, & rata habere iudicia ac suffragia summorum Antistitum in aliquo ex ipsorum ordine, Sacris Christianis praeficiendo, *Cosmus Mediceus*, *Victorium* in eorum numero esse voluit (3), illique potissimum, ut apud Pontificem verba faceret, ac de rebus gravissimis ageret, demandavit (4). Multas inter, quas habuit conciones, ex-

(1) Vid. Epp. Lib. II. 31. seqq.

(2) Ep. Lib. II. p. 34. Eam quoque refert *Oldoinus* in additionibus ad *Ciacconium* T. III. p. 750. Haec inter maximo dolore adfectus est *Victor.* ex interitu *M. Ant. Flaminii*, qui incidit in XII. Kal. Mart. A. MDL. dum annum aetatis ageret LII. Quare sibi temperare non potuit, quin amicissimi viri casum cum *Reginaldo* Card. *Polo* defleret. Vid. *Flam.* Vitam, & *Victor.* Ep. ibi editam editionis Patavinae supra memoratae.

(3) *Ammirat.* Histor. Florentin. ad hunc annum, Epp. ad *Vict.* T. I. p. 75. 79.

(4) *Cosmus Mediceus*, *Iulii III.* fratri *Balduino* oppidum Etruriae S. Sabini marchionis titulo liberaliter donavit. Cui rei perficiundae multum operae *Victorius* contulit, ut ex his *Franc. Victorii* verbis patet „ Fu egli molto ben veduto da tutta la corte, ed il Papa stesso, il quale desiderava, che il Duca desse a' suoi nipoti la Signoria del Mon-

extat oratio luculenta & insignis, gratusque adeo Pontifici ea de caussa, Pontificiaeque familiae fuit, ut aureo torque donari, tituloque Equitis, & Comitis insigniri meruerit (1).

XXXII. Praestat heic ipsas *Iulii* Pont. Epistolas proferre, quae sunt huiusmodi ,,

Iulius PP. III.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam ben. Quum tu nuper a dilecto filio nobili viro *Cosmo Medices* Reipublicae Florentinae Duce unus ex sex Oratoribus per eum electis ad Nos salutandos ac venerandos, obedientiaequae officium nobis., & Sedi Apostolicae de more praestandum missus, cum laude, & dignitate id munus cum ceteris tuis collegis executus fueris, luculentamque, ac tua doctrina, & fama dignam orationem coram nobis in Senatu nostro habueris: ex quo iudicium dicti Ducis in te eligendo, tuamque virtutem in electione ei satisfaciendo; valde probavimus, volentes aliquo inditio nostram tibi benevolentiam etiam causa dicti Ducis, quem omni amore prosequimur, exhibere, licet ex tuo genere splendeas, & virtute propria fulgeas, ut tamen tuis ornamentis etiam nostra accedant, huiusque tuae ad Nos legationis, & nostrae in te dilectionis gratam memoriam conserves, te, quoad vixeris, Sacri Palatii nostri, & Aulae Lateranensis Comitem, Aurataeque Militiae Equitem cum omnibus alio-

Monte a S Savino sua patria, come poi seguì, ordinò a *M. Federigo Donati* suo medico, e intimo confidente, che sotto pretesto di andare a visitar *Pietro* la sera stessa, che e giunsono in Roma, come litterato amico suo, gli dicessi nel progresso del ragionare, che non passava senza ammirazione, che il Duca non havesse presa subito questa resoluzione, e *Piero* solo ne dette conto a Firenze, e trattò il negozio. Vid. etiam *Fortunium Cronica Monsavinese Firenze per il Sermartelli* 1583. 4. *Cap. XXI.*

(1) *Franc. Victor.* l. c.

liorum Palatii, & Aulae huiusmodi Comitum, & eiusdem Militiae Equitum privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, honoribus, antelationibus, favoribus, gratiis, indultis, ac facultatibus, etiam Doctores in quacumque licita facultate, praevio examine, & trium Doctorum assistentium votis iuratis, ac Notarios publicos, Tabelliones, & Iudices, recepto prius ab eis solito fidelitatis iuramento, creandi, ac quosvis illegitimos, defectum Natalium undecumque, & quomodocumque provenientem patientes, absque tamen praeiudicio venientium ab intestato, legitimandi, ita ut ad omnes dignitates, gradus, ordines, & officia publica & privata, perinde ac si de legitimo matrimonio nati essent, admitti possint auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, & deputamus, Tibique aureum Torquem in signum Equestris Militiae, ac dignitatis donamus, & tam illo, quam calcaribus auratis, enseque, & cingulo militari, ceterisque equestris militiae insignibus uti posse concedimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibus, statutis, & consuetudinibus, & iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die iiii. Maii M.D.L. Pontificatus Nostri Anno Primo (1)

Blo. el. Fulgin.

XXXIII. Multa autem habuit *Victorius*, quae ad hominum animos conciliandos plurimum valere consueverunt; nam praeter ingenii vim, & in forma sum-

(1) *Extra*. Dilecto Filio Petro Victorio Sacri Palatii nostri, & Aulae Lateranensis Comiti, & Auratae Militiae Equiti. Exstat in Bibl. *Vict.*

ma quaedam oris species ac dignitas inerat, & in statura decor; mira quoque in moribus suavitas, lenitasque amabilis, dulcisque cum sermo, tum tota vitae, cultusque consuetudo mitis, ac clemens. Plenus itaque decoris, & laudis, paullo post adventante autumno Florentiam revertitur (1). At Romani aeris insalubritate, molesta gravedine correptus, in Decimano suo per dies aliquot substitit, ut valetudini suae sub clementissimo caelo consuleret (2). Exinde vero ubi Florentiam advenit, mense Septembri, *Clementis* Alexandrini libros a se purgatos omnium primus e Codicibus Laurentianae Bibliothecae ad vitam quodammodo revocavit, a *Marcello Cervinio* doctissimo Cardinale, cui opus obtulit, ad id potissimum incitatus (3): ipse enim amplissimus Cardinalis, una cum *Guilielmo Sirleto* (4) sedulam curam inpenderat, ut idem auctor integrior nitidiorque in manus eruditorum veniret, nactusque prae reliquis e Bibliotheca *Rodulphi Pii* Carpensis vetustissimum exemplar Protreptici, ac Paedagogi, scriptori pereunti, ac pene iam tenebris obruto lumen adtulit (5).

XXXIV. *Cle-*

(1) Redeunti *Victorio* Senis obviam processit *Sallustius Piccolomineus* V. Epp. Lib. II. p. 38.

(2) V. *Vict.* Ep. ad *Sallustium Piccolomin.* Dat. ex decim. Eid. Sept. Lib. II. Epp. p. 40.

(3) Magnificae huius editionis exemplar in pergameno excusum exstat in Bibl. *Magliab.* Vid. Ep. ad *Marc. Cervinum* operi praemissam Epp. Lib. II. p. 38.

(4) Variar. Lection. Lib. XIV. Cap. XVIII.

(5) L. c. Prodiit primum *Clemens* Alexandrinus Flor. typis *Laur. Torrentini* hoc anno, de quo ita loquitur Epp. ad Germanos Lib. I. p. 13 Omnem enim olim machinam adhibui *Torrentino*, ut inpellerem hominem ad *Clementem Alexandrinum* formis excudendum: quod vix ille, spisseque fecit, saepe opere intermisso, ut non semel desperarim, me umquam finem eius rei visurum. Quum autem postea aliquando suadere ipsi caepissem, ut aliis Graecis Scriptoribus inprimendis incumberet, numquam quod studui, es-

XXXIV. *Clementem Alexandrinum* subsequuta sunt *Xenophontis* Atheniensis ἀπομνημονεύματα, quod ipsi ad auditores suos ab omni labe vitioque purgandos ob sententiarum gravitatem apta maxime videbantur; exprimitur enim in eo libello imago vitae *Socratis*, vel potius sanctissimae morum disciplinae perfectissimum exemplar proponitur (1). Praeterea *Platonis* aliquid Epularum ipsis adposuit; utque verborum elegantiam, numerosque scriptoris doctissimi degustarent, sumsit e multis sermonem habitum a *Socrate* de amicitia, quem omnibus ad vitam honeste, iucundeque traducendam adcommodatum arbitrabatur (2).

XXXV. Paullo post *Aristotelis* libros de optimo statu Civitatis ab innumeris pene sordibus expurgavit, eosque ad *Io. Casam* Beneventanum Archiepiscopum dono misit, quem voluit tamquam arbitrum, atque existimatorem facere iudicii, sedulitatisque suae (3). Perturbato Christianae Reip. statu *Alexander Farnesius* amplissimus Cardinalis Florentiam venit (4), ut toto animo studiis bonarum artium incumberet; & multos quamvis secum haberet eruditos, & eloquentes viros, *Victorium* tamen in subsidium vocavit, quo cum optimos graecae, ac latinae linguae auctores legeret, ac volutaret (5). Tam honestae Cardinalis voluntati inservire satagens, lectionemque gravissimorum scriptorum adiuvare, *Demetrii*

 Pha-

efficere potui. Recusus fuit Heidelbergae typis *Hieronymi Commelini* A. 1592. in fol. curante *Friderico Sylburgio*, qui doctissimorum hominum, inprimisque *Victorii* adnotationes addidit. *Victorius* enim *Clementem* a se editum, notisque marginalibus illustratum, quem pro nova huius scriptoris editione, quam moliebatur, paraverat, lubentissime postmodum *Sylburgio* muneri dedit, ut ipsemet testatur in Ep. nuncupatoria, in Praefat. & fusius oper. pag. 353.

(1) Epp. Lib. II. p. 41.

(2) Ibid.

(3) Ep. ad *Casam* data est Eid. Quinct. MDLII.

(4) V. *Io. Bapt. Hadrianum* Histor. Flor. Lib. VIII.

(5) Epp. ad *Victor.* T. I. p. 84.

Phalerei Commentarium, quo adcurate elocutionis partes, ſimulque vitia eiusdem, ut facile caveri poſſint, traduntur, eodem *Alexandro Farneſio* auſpice, ad fidem veterum Codicum in vulgus dedit Florentiae A. CIƆ. IƆ. LII. (1).

XXXVI. Liceat mihi hoc loco in medium proponere, quae pro evulgatione Florentinorum Pandectarum *Victorius* geſſit. Extat in Gazophylacio Magni Etruriae Ducis vetuſtiſſimum illud Pandectarum exemplar quadratis ſcriptum literis, quod eſſe illius Codicis, quem *Iuſtinianus* in Italiam miſerat Archetypon, eruditi olim, atque in his *Chriſtoph. Landinus*, ac *Marſ. Ficinus* ſuſpicabantur. Illud Piſis adſervabatur, quum, ut ferunt, Amalphi prius omnem ſupra memoriam fuiſſet. Einde adceptum Piſani magnum foris nomen, marique Imperium obtinentes, quod *Innocentium II.* Pont. Max. & *Lotharium* Caeſarem II. inſtructa claſſe adverſus *Normannum Rogerium* adiuviſſent, egregiae navatae operae monumentum retulerunt. At Florentini per *Ginum Caponium*, A. S. MCCCC[redacted]VI. Piſis in poteſtatem Populi Florentini redactis, illud in perenne relatae victoriae monumentum Florentiam transtulere. Poſtera autem aetate *Laelius Taurellius* animadvertens, *Coſmum* relictas a Maioribus ſuis literarias opes nolle in tenebris iacere, ut Principi ſuo, non ſolum opera forenſi, ſed etiam bonis in literis excitandis indulgeret, alta mente concepit, ut egregius, ac venerandus liber in lucem emitteretur. Quare *Laelii*, & *Franciſci Taurellii* filii cura, atque iti-

(1) Ita *Victor.* in Ep. nuncupatoria dat. Flor. Eid. Aprilis MDLII. quae conſulenda Epp. Lib. II. pag. 45. Conſtat Auctorem hunc ante annum MDXLVII. *Vict.* edidiſſe, ut auditorum ſuorum commodis inſerviret, quum magna eſſet penuria *Aldini* exemplaris Epp. Lib. I. p. 23.

itidem *Petri Victorii* industria (1) qui graece potissimum tradita, quae frequentissima sunt, recensebat, opus X. Annorum, Florentiae typis *Laurentii Torrentini* quam emendatissime prodiit (2).

XXXVII. Nova quoque laudis adcessio facta est *Victorio*, editis XXV. libris variarum Lectionum, quos e reconditis Graecorum literis, tamquam ex uberrimo omnium scientiarum fonte depromsit (3). Quum enim quosque latinae linguae scriptores diligenter evolveret, & in legendo plura animadverteret, quae aut expressa de Graecis scriptoribus videbantur, aut eorum doctrina poterant adiuvari, alia quae non satis fuerant ab interpretibus declarata, aut librariorum oscitantia corrupta, ne aliquando perirent, servato ordine, quod in notando olim sequutus fuerat, in unum congessit, & auspice *Alexandro Farnesio* amplissimo Cardinale, in turbam dedit (4). Ex nonnullis Ro·

(1) *Io. Nicotius* in Ep. ined. Dat. Nemausi IV. Eid. Apr. 1551. „ Id vero est te curaturum ad me Pandectas, quas tum *Torrentino* dare cogitabas „.

(2) Vid. Ep. *Franc. Taurelli* splendidissimae huic editioni praemissam, & Ep. ipsiusmet *Victorii*, ad posteriores XIII. libros variar. Lection. Praeterea in castigation. in *Colum.* de Re Rustic. p. 70. adfirmat, se diu Florentinas Pandectas easque editas pertractasse „ Non exemplar ipsum semper consului, sed habui excusos formis libros, quos cum antiquis illis *Ang. Politianus* studiose contulerat, eosque quantum mihi commodum fuit pertractavi. Illi enim quoque publici sunt „ Ceterum rarissima haec editio cum notis MSS. *Ang. Politiani* exstabat *Victorii* aetate in Bibliotheca Laurentiana, ex qua superiorum Custodum incuria ablata est, mea autem diligentia reperta, ut spero, Caesareae Bibliothecae restituetur. Hanc iacturam vehementer indoluit *Bretman.* Histor. Pandect. Lib. IV. Cap. I. p. 317. *Menken.* in Vita *Politiani* p. 308.

(3) Epp. ad *Victor.* Tom. I. p. 92. *Io. Bapt. Arcucius* Ep Dat. Neap. III. Non. Martii 1559. Menda aliquot, quae in hoc opere inrepserant, amice cum *Victorio* communicavit Epp. ad *Vict.* l. c. p. 119.

(4) Ep. dat. VII. Kal. Sept. MDLIII Einde vero A. MDLXVIII. Alios XIII libros Var. lect. edidit 4. quos *Ferdinando Mediceo* consecravit. Ep.

Romanis legibus heic restitutis, adparet, *Victorium*, unum fuisse ex iis, qui criticae Iurisprudentiae vel fundamenta iecerunt, vel ad hanc nobilissimam facultatem adsequendam, facem iis, qui subsequuti sunt, praetulerunt. Qua quidem in re, vel socii, vel *Victorii* aemulatores fuere *Ant. Augustinus* (1), & *Iac. Cuiacius* (2), quorum primus Florentiam venit, ut pretiosissimos Legum Codices Laurentianae praesertim Bibliothecae excuteret, alter vero eius libros, ut antiquas emendaret leges, studiosissime consulebat.

XXXVIII. Per id quoque tempus habuit in animo diligentia, ac studio suo tollere menda, quae in politissimis *Cornelii Celsi* scriptis visuntur, & in eo uti auxilio, atque auctoritate vetustissimi illius Codicis, qui in Bibliothecae *Mediceae* sacrario adservatur. At quum audisset *Sighisellium* quemdam Bononiensem, doctum & adcuratum virum in eo plurimum elaborasse, adfirmaretque se brevi vigilias illas suas editurum, ne laudi, atque honori ipsius videretur invidere, abiecit omnem illam suam cogitationem, & quidquid potuit operis ad eam rem perficiundam, illi ultro praebuit (3).

XXXIX. Men-

Ep. d. XIV. Kal. Ian. MDLXVIII. & de his fuse loquitur in Ep. ad *Ioachim. Camerar.* Epp. ad Germ. Lib. II. p. 81. & in Ep. ad *Casel.* ibid. p. 83. Denique omnes Variar. Lection. libros in unum volumen redegit, protulitque typis *Iunctarum* A. MDLXXXII. fol. Opus hoc ad libros usque L. producere animo volutavit, ut adparet ex Ep. ad *Didacum Covasruviam* Ep. Lib. VIII. p. 173. *Franc. Victor.* l. c. „ Aveva animo di condursi fino a cinquanta, & aveva preparato nella mente bellissimi luoghi, ma impiegato in studi più gravi, non gli è venuto fatto di metterlo ad effetto.

(1) V. Epp. Lib. V. p. 112. Lib. VI. p. 145.

(2) Variar. Lection. Lib. I. Cap. XV. Observat. *Cuiacii*, & alibi. Praeterea maxima *Victorium* inter ac praestantissimos illius aevi legum interpretes consuetudo intercedebat, inter quos honoris gratia recensendi sunt *Ant. Augustinus*, *Laelius*, & *Franc. Taurelli*, & *Didacus Covasruvias*.

(3) Vid. Ep. ad Germ. Lib. II. p. 78. Ep. ad *Georg. Fabricium* dat. Flor. Eid. Ian. 1568.

XXXIX. Mense Octobris A. CIↃ. IↃ. LIII. in Senatorum numerum *Victorius* admissus est. Erant ii quadraginta octo, apud quos numeratis suffragiis componendae Civitatis, declarandique Principis summa erat potestas, ut imago quaedam deploratae libertatis superesset (1).

XL. Florebat Romae temporibus illis *Marcellus Cervinius* amplissimus Cardinalis, is, qui postquam *Iulius III.* e vivis excessit, Pontifex Maximus factus est D. V. Eid. Aprilis. Tanto imperio, ac potestate cbtenta, ut initium rerum, actionumque suarum ab illustri aliqua laude duceret, faciendum sibi esse existimavit, ut quibus in terris homines essent doctrinae laude praestantes, illos ultro ad dignitates eveheret. Quare *Victorium* inprimis, quo cum familiarissime vixerat, ad se statim venire iussit. Multas enim viri optimi, magnasque animi dotes maximi fecerat, tum vero apertum simplexque hominis ingenium, suae ipsius voluntati, atque naturae consimile, ac par, plurimum semper adamaverat. His prospere cedentibus, *Victorius* tanta est voluptate perfusus, ut difficillimi temporis acerbitatem ingenti consolatione leniret. Itaque venia a Magno Duce inpetrata, ubi Romam advenit (2), dici vix potest, quibus effu-

(1) Videnda est Ep. quam hac occasione *Victorius* ad *Iacobum Guidium* Magni Ducis a Secretis exaravit die XXIX. Octobr. MDLIII. Prof. Fior. Part. IV. Vol. I. n. 13. *Franc. Victor.* l. c. Una extat inter Epp. a nobis praetermissas *Laur. Minori* ad *P. Victor.* dat. Pisis V. Kal. Ian. 1553. qua ei de adepta Senatoria dignitate gratulatur. Inc. „ Minime mirum tibi debet videri, ornatiss. *Victori*, quod nondum tibi gratulatus fuerim amplissimam illam totius Civitatis nostrae dignitatem, qua tu pro tuis maximis, ingenuisque animi dotibus cum summa omnium bonorum laetitia, Opt. Principis nostri liberalitate, auctus, atque honestatus fuisti &c.

(2) *Franc. Victor.* l. c. „ Deliberò di andare a Roma, & fu questo con buona gratia del Duca, la qua-

fusissimi animi significationibus a doctissimo Pontifice exceptus fuerit.

XLI. Iamque, inclinatione temporum fortunaeque perterritus, Romae consistere moliebatur *Victorius* honorificentissimo muneri Praefectus Pontificiarum literarum, quas Brevia vocant (1). Durum autem est, & arduum admodum in terra gravi, & aspera servitute oppressa quempiam exoriri, qui animum erigat ad honesta studia, ac toto pectore virtutem sequatur, ac colat (2). Vt autem res altius repetatur, Senensis Populus ad *Henricum* Gallorum Regem defecerat, urbe & arce pulsis Hispanorum praesidiis, quod a *Didaco Hurtado Mendoco* in ea Civitate Imperatoris procuratore, arx aedificari caepta fuisset, ut facilius Senenses in officio, & *Caroli V.* obsequio continerentur. Audita Senarum defectione Neapolitanus Prorex *Petrus de Toleto*, iussu Caesaris A. MDLIII. quum summa iam hyems instaret, in Etruriam XX. millia peditum miserat, quo ipse etiam Neapoli solvens, adnavigavit. Post varia Gallos inter & Caesarianos certamina, quum omnia direptionibus, incendiis & caedibus per Etruriam delerentur, *Iulius III.* Pont. Max. Viterbium adcessit, ut ex bel-

quale apparse manifestamente, perche essendo egli de' Capitani di Parte, il Duca per suo moto, volse, che *Iacopo* suo figliuolo gli serbassi l'ufizio, & perchè il viaggio per terra era pericoloso, volse che andassi con *D. Giovanni Mandric*, che era Imbasciatore dell' Imperatore, & andava per mare.

(1) L. c. Furono cosa maravigliosa i segnalati favori, che gli fece, volendolo a ragionar seco, non ostante il cumulo de' negotii, & ammettendolo alle più segrete parti delle sue stanze, intanto che molti cominciavano a ricercarlo, come intercessore. Il Papa trattava di volergli dare la Segreteria de' Brevi. Vid. huius Pont. Vitam a *Polidorio* conscriptam, in qua pluries de *Victorio* mentio incidit Romae MDCCXLV. 4. Item *Vict.* Ep. ad Card. *Rob. Nobilium* Epp. Lib. III. p. 55. ad *Ioannem Casam* ibid. p. 56. ad *Guilielm. Sirletum* ibid. Lib. VI. p. 138. Lib. IX. p. 221.

(2) Epp. ad German. Lib. I. Ep. II.

bellantium nutu urbem sequestram adciperet, finemque discordiis inponeret. Caesariani, mortuo Prorege, rerum omnium, pecuniaeque praesertim egentissimi, Montis Illicini obsidionem solvunt; Cardinalis Ferrariensis, qui Senarum imperio praeerat, aliquot initis conditionibus, excessit, & *Iulius* Pont. re infecta, Romam revertitur. *Cosmus Mediceus* opportunissimam hanc nactus occasionem, Senis ultimam adtulit servitutem; nam quod Ilva suae ditionis insula a Galliae Rege peteretur, *Carolum* Imp. Gallis infensum, ad instaurandum Senarum bellum, se laboris socium pollicitus, sollicitare non destitit. Bellum itaque non sine literarum iactura, ineunte anno CIↃ. IↃ. LIII. Senensibus intulit, qui tandem fame coacti, Kal. Maii A. CIↃ. IↃ. LIV. in Caesaris, & einde in eiusdem *Cosmi* potestatem redacti sunt.

XLII. Sed, ut unde discessimus revertamur, *Marcellus II.* Prid. Kal. Maias, quae rerum humanarum vicissitudo est, apoplexi conreptus, paullatim omnes sensus amisit, ac sequenti nocte diem obiit suum (1). Haec autem gravis plaga ut *Victorium* confecit, ita animos bonorum omnium maxime perturbavit. Quare amicis suis valere iussis, Roma decessit non sine lacrymis, & pluribus diebus in agro Piceno peragrando consumtis (2), licet potentissimi Reges (3) ipsique Bononienses eum ad se quisque magnis propositis prae-

(1) V. Epp. ad *Victor.* T. I. p. 105. a 108.

(2) Pisauri occurrit *Io. Casae*, qui Pontificiis literis Romam evocabatur. Vid. Praefat. *Victorii* ad *Casae* Latina Monim. *Io. Bernard. Gualandius* in Ep. a nobis omissa dat. Prid. Kal. Quinctil. 1556. ex Valle Vmbrosa haec habet „ Qua dies aliquot, quum Forosempronio superiore anno pertransisti, &c.

(3) Ex *Victor.* Ep. ad *Io. Bapt. Giraldum* Dat. Flor. VI. Kal Quinct. 1564. T. I. p. 101. eruitur a Sabaudiae Duce ad Montis Regalis Academiam evocatum fuisse „ Tu vero laeto ani-

miis adliceret, maluit ad Patriam sibi carissimam demigrare (1). Ibi agrorum culturae rursus animum adplicuit, quum praecipue *Guilielmus Sirletus* ei suas aliquot in veteres Geoponicos animadversiones misisset, quos non secus ac de latinis fecerat, castigare *Victorius* sedulo cogitaret (2).

XLIII. Per haec tempora Florentiam adventavit *Henricus Stephanus*, *Ruberti* filius Parisiensis typographus, probus adolescens, ac omni politiori literatura supra aetatem instructus. Divertit ille in *Victorii* domum, gravissimo testimonio *Bernardini Maphaei* Cardinalis ornatus, qui pro ea, qua bonarum artium studiosos benevolentia complectebatur, ipsum *Victorio* mirifice commendaverat (3). Tum ei *Stephanus* suave, lepidumque *Anacreontis* Carmen, a se in antiqui libri tegmine forte inventum, quod heic proferimus, dedit muneri.

Λέγουσιν αἱ γυναῖκες
Ανακρέων γέρων εἶ:
Λαβὼν ἔσοπτρον, ἄθρει
Κόμας μὲν οὐκέτ' ἔσας:
Ψιλὸν δέ σου πρόσωπον.
Εγὼ δὲ τὰς κόμας μέν,
Εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον,
Οὐκ οἶδα: τοῦτο δ' οἶδα,
Ως τῷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν,
Οσῳ πέλας τὰ μοίρης.

XLIV. Con-

animo istic vive, & magnis istius regionis commodis libens fruere: ego certe tibi adfirmo, ac vere sincereque praedico, nisi aetas mea iam gravis impediret, ac si id per Principem nostrum facere mihi liceret „ me libenter ad istum consessum, gregemque doctissimorum virorum, ad quem etiam invitatus sum, concursurum fuisse.

(1) *Franc. Victor.* l. c. *Salviat.* & *Bruckerus* ll. cc.

(2) V. *Victor.* Ep. ad *Sirletum* dat. VI. Martii MDLVI. Prof. Fior. Part. IV. Vol. IV. L. VII.

(3) Var. Lect. Lib. XX. Cap. XVII.

XLIV. Contra ea *Victorius* humanissimo hospiti donavit *Aeschyli* Atheniensis tragoedias a se purgatas. Erant enim ad ea tempora corruptae undique ac debiles, quin & plurimae iam perierant, & nonnullae, quae erant reliquae, foedissimis mendis scatebant. Ex iis itaque turpes maculas eluit, & omnium primus integram *Agamemnonem* repperit, cuius fabulae prima tantum pars, atque ea quidem pusilla circumferebatur (1). Nec quidquam omisit, quod ad eius restitutionem faceret. Vbi enim adcepit, Romae in Bibliotheca *Alexandri Farnesii* summi Cardinalis *Aeschyli* inveniri volumen, in quo haec fabula legeretur, eam a se descriptam, a *Guilielmo Sirleto*, postmodum amplissimo Cardinale, conferendam censuit. Quod vero in hoc munere obeundo comes *Victorio* fuit eruditus ac strenuus iuvenis *Barptolemaeus Barbadorus* (2), ita & ipsum participem laudis, quam ex hac diligentia consequeretur, habere voluit.

XLV. Quantum olim studium, fidemque in *Tullii* Epistolis ad familiares emendandis adhibuerit, iam supra meminimus. Commodum autem illi fuit, post tot annorum spatium eidem operi incumbere. Exstat in *Medicea* ad *D. Laurentii* Bibliotheca antiquissimus harum Epistolarum liber, cuius iampridem auctoritate usus fuerat. Ad eum inprimis rediit, ac veteri scribendi ratione servata, praestantissimum exemplar A. MDLVIII. nitidissimis formis expressit (3). Est autem paene vetustatis illius, cuiusmodi pauca reperiuntur

 pri-

(1) Haec *Victor.* testatur in Ep. huic editioni praemissa, quae prodiit ex officina *Henrici Stephani* MDLVII. 4. Vid. Ep. ad *Ioachimum Camerarium* Lib. I. Epp. ad Germanos Ep. I. in qua fatetur *Laur. Torrentinum* hoc *Victorii* opus excudere renuisse.

(2) Comment. ad Poetic. *Arist.* Lib. I. p. 161.

(3) Epp. Lib. III. p. 69.

priſcorum hominum monumenta, non tantum e charta, fragilique hac materia, verum & e lapidibus caementiſque conſtructa. Quid enim tanta temporis longinquitas non conficit, atque conſumit?

XLVI. Iacebat praeclarum *Ariſtotelis* opus de arte Poetarum, nec alios adhuc ſui amatores nactus fuerat, praeter *Georgium Vallam*, *Alexandrum Paccium*, *Franc. Robortellum*, & *Vincentium Madium*, qui illud vel latine verterant, vel cum antiquis libris contulerant, vel ſingulas ipſius ſententias ſtudioſe perpenderant. Hinc *Victorius* incredibili ductus ſtudio, optimum ſcriptorem adiuvandi, quum olim diligenter libros eius de arte dicendi legeret, atque illuſtraret, eodem tempore huius libelli obſcuritate perſpecta, non alienum duxit, ipſi quoque aliquid lucis adferre. Quod quidem opus, uberrimis commentariis locupletatum, *Coſmo Mediceo* auſpice, A. MDLX. publica luce donavit (1).

XLVII. Kal. Quinctil. A. CIↃ. IↃ. LXI. ſummopere eſt delectatus vario & eleganti Poemate, a *Petro Angelio Bargaeo* de venatione conſcripto (2), quod vix formis excuſum ad *Victorium* ſibi amiciſſimum miſerat, ut acre eius iudicium, antequam illud in turbam daret, experiretur (3). Praeterea quum *Pius IV.* Pont. Max. poſt inſtauratos Chriſtianorum mores, animum ad urbis ornamenta convertiſſet, officinam conſtituere libris Sanctorum Patrum adcurate, & integre in-

(1) Fol. typis *Iunctarum*, a quibus iterum A. MDLXXIV. recuſum fuit V. Epp. ad Germ. L. IV. Ep. 10.

(2) *Victorii* potiſſimum officiis apud Etruriae Ducem, *Bargaeus* Profeſſoris eloquentiae munus in Piſana Academia obtinuerat V. Epp. ad *Victor.* T. I. p. 73.

(3) Prodiit Lugduni apud *Seb. Gryph.* Videnda eſt *Victorii* ad *Bargaeum* Ep. Lib. IV. p. 43. quae etiam recuſa fuit ante eiusdem Poematis editionem Florent. ex typographio *Iunctarum* A. 1568. 8.

inprimendis cogitavit. Quare *Alexander Farnesius* maximus Cardinalis *Victorium* consuluit (1), ut sibi quae ad id paranda essent, amice communicaret (2). Per id quoque tempus, ut *Amulio* Cardinali viro doctissimo morem gereret, *Plutarchi* opera sedulo recognovit, ipsique dono dedit (3).

XLVIII. Haec

(1) Proferenda est Ep. quae exstat in Biblioth. *Victoria* Romae „

Magnif. M. Pietro.

Occorre, che N. S. vorrebbe drizzare una stampa qui in Roma, & trattandosi dell' ordine, & modo, che in ciò si averia da tenere; averei a caro intendere il parer vostro; per il che vi piacerà darmene avviso, & scrivermi minutamente la spesa „ e desidererei parimente, che mi deste conto delle condizioni, con che il *Torrentino* entrò in tale impresa costì, & tutto mi sarà caro intendere quanto più tosto, per poter tirare questa materia innanzi, la quale è molto a cuore a S. Santità. Aspetto adunque una risposta, e con tutto il cuore mi vi raccomando. Di Roma alli 22. di Febbraio 1561.

Vostro il Card. Farnese.

(2) Anno 1564. haec officina publico literarum commodo reserata est. V. *Oldoin.* in addit. ad *Ciaccon.* T. III. p. 881.

(3) In Ep. *Silvii Antonian.* qui postmodum Card. fuit, dat. 21. Martii 1562. MS. Romae in Biblioth. *Victor.* „ Monsig. Illustriss. Card. *Amulio*, il quale ama, & stima VS. grandemente, desidera quanto dir si possa quel suo *Plutarco*, emendato da lei in tanti luoghi. Ex alia Ep. ibidem *Symonis Pasquae* Episcopi Sarz. „ Il Sig. Oratore del Sig. Duca vostro, mi à portato le correzioni sopra li Opuscoli di *Plutarco*, quali mi sono state tanto chare, quanto cosa potessi al presente ricevere; ne dubito VS. avergli durato grande fatica, come per la sua mi scrive, e per questo maggior obbligo ne tengo a Vostra Signoria desiderando .... ne quella dubiti si abbia a comunicare a persona alcuna, giacchè io veggo questa essere vostra volontà. Io starò bene aspettando il fine di questo sacro Concilio &c. Di Trento alli 23. di Marzo 1562.

D. V. Signoria

Quanto Fratello il Vescovo di Sarzana.

Adservantur in Bibl. *Victor. Plutarchi* Opuscula LXXXXII. &c. ex editione *Aldi Pii* M. R. Venetiis mense Martii M. D. IX. in fol. Graece tantum excusa cum plurimis MSS. *Victorii* adnotationibus, cuius nomen ita adscribitur „ *Petri Victorii* καὶ τῶν φίλων. Itemque *Plutarchi* Vitae illustr. Viror. Venet. in aedib. *Aldi* MDXIX. fol. cum MSS. eiusdem *Victorii* animadversionibus.

XLVIII. Haec inter gravissima quaedam controversia suborta est de summo gradu honoris, *Cosmum* inter magnum Etruriae Ducem, & *Alphonsum* item Ferrariensium Principem (1); alterum socerum, alterum virum sororis *Maximiliani* Imperatoris, qui eiusmodi quaestionis Iudicem se aequissimum praebuit. *Victorius* interim Principis sui caussam tueri non destitit, collegitque scripto quodam argumenta plurima, quibus docuit, id honoris Florentinae Reip. eiusque Principi iure ac legibus non posse eripi (2). Quumque multum de ea re in utramque partem disputatum esset, statutum est ante Caesaris tribunal esse caussam dicendam. Quare *Ludovicus Antinorius* (3) ad *Maximilianum II.* Imperatorem orator ab Etruriae Duce renunciatus est, qui secum *Bellisarium Vintam* adduxit. Vtrosque, quos plurimum adamabat *Victorius*, dimisit non sine literis ad *Io. Cratonem* Archiatrum Caesaris datis, quibus itidem Principis sui caussam Viro amicissimo commendavit.

XLIX. At nihil magis incertum est rebus humanis, nihil quod tam facile dilabatur, ac fluat: dumque prosperior videtur fortuna, eo magis in nostrum pertinax exitium ludit. Quod quidem Decembrio mense A. MDLXII. experta est *Medicea* Familia. Quum

(1) Caussa agebatur, an Ducis Ferrariensis Legati, Reip. Flor. Ducis Legatos praecederent.

(2) *Victorii* opusculum, quod extat in Bibl. *Magliab.* hunc praefefert titulum „ De maxima dignitate *Cosmi Medicis* Ducis Reip. Florentinorum, ac Senensium, qua demonstratur, ipsum vincere in hoc certamine honoris aemulum ipsius *Alphonsum Estensem* Ducem Ferrariensium. In fine haec leguntur „ Ego *P. Victorius*, Patricius Florentinus, & Senatorii ordinis, Auratae quoque Militiae Eques, Comes item Palatinus manu propria subscripsi, & obsignavi &c. Alii quoque Germaniae, Galliae, atque Italiae praestantissimi Iurisconsulti Magni Ducis caussam propugnarunt, ut videre est in citato Volumine Biblioth. *Magliabechianae*.

(3) Vid. Epp. ad German. Lib. II. p. 84.

Quum enim *Ioannes* Cardinalis & *Gratias*, *Medicei* Fratres in saltibus, lustrisque Pisanis cum canibus versarentur, suborta lis est inter utrosque; animique ita exarsere, ut consertis manibus *Gratias*, *Ioannis* coxam pugione transegerit: quo vulnere adfectus, paullo post ad Labronis portum naturae concessit, dum annum aetatis ageret XIX. Hoc casu audito, dici vix potest, qua ira exarserit *Cosmus*, pia licet uxor nil praetermiserit, quo eius animum iratum offensumque leniret. Tum forte sanctissimi dies adpropinquabant, quibus Sacerdotes memoriam recolunt acerbissimae Christi necis, qui salutem nobis suo interitu dedit: quum ideo sibi blandiretur ea de re Magni Ducis animum posse amoliri, *Gratiam* ad patris pedes veniam inploraturum adduxit. At truculentus homo salutari uxoris consilio nequaquam se inflexit, atque ut exitiali proposito deserviret, extracto breviore gladio infelicissimi iuvenis pectus transfodit, quo horrendo adspectu percussa mater, exanimis humi procubuit, & obiit.

L. *Ioanni*, & *Eleonorae Toletanae* in Laurentiana Basilica more institutoque maiorum parentari decretum est, alteri ad VII. Kal. Dec. alteri ad IV. Kal. Ianuar. Itaque *Victorio* inpositum est onus utrosque elegantissimis orationibus laudare, in quibus rem acerbam, ac omnibus paene seculis inauditam, atrocitatem casus, omnem aliam fortunae iniquitatem superantis, dissimulare coactus est (1). Nam quum propter rerum omnium copiam, atque adfluentiam, plerumque Principes, humanae naturae vitio, nimium sibi indulgeant, mul-

(1) Exstat rarissima quaedam collectio Latinorum, Etruscorumque poematum in obitu *Ioannis*, ac *Gratiae*, necnon *Eleonorae Toletanae*, in unum congesta ab *Ludovico Dominico* Flor. MDLXIII. 4. Ibi legitur *Victorii* carmen, vulgo *Sonetto* nuncupatum, Vid. & Ep. *Victor.* ad *Iordanum* *Ursinum* Epp. Lib. IV. p. 105.

multosque ob eam caussam circa se habeant adsentatores viles, imperitos, callidos, longe ab illis perterrita refugit veritas, cuius ignoratione imperia existunt saeva, ignava, inimica virtuti, plena turpitudinis, plena calamitatis.

LI. Interim vero voluptatem maximam *Victorius* sensit, humanissimis adceptis literis ab *Io. Alberto* Megapolensi Duce, cui suos in *Phalereum* Commentarios dono miserat (1). Familiari siquidem consuetudine utebatur, non eiusdem *Ioannis Alberti* modo, sed & *Ioachimi Friderici* Brandemburgensis Marchionis, cum quibus literarium commercium diutius coluit. Favebant enim utrique totis viribus, atque opibus virtuti, ac bonis artibus; quod quidem infrequens, & raro omni aetate contigit, ut qui valde instructi sunt externis bonis, iidem animum ornare, atque expolire summopere studeant. Einde vero libenter audivit *Victorius*, *Guilielmum Sirletum*, *Caroli* Card. *Borromaei* officiis, itemque *Angelum Nicolinium* a *Pio IIII.* P. M. in summorum Card. collegium fuisse admissos (2).

LII. Iamque ab A. CIↃ. IↃ. LVI. fuerat immatura morte praereptus *Io. Casa*, quem inter, & *Victorium* arcta, plurimisque confirmata officiis consuetudo intercesserat (3). Quare quum aliter nequiret vir probus & in-

(1) Epp. ad German. Lib. I. p. 20. 39. seqq. Epp. ad *Victor.* T. I. p. 135. 145.

(2) Epp. *Vict.* Lib. V. p. 125. seqq. & nostrae edit. T. I. p. 150.

(3) Exstat elegantissima *Ant. Benivieni* ad *Victorium* Ep. de morte *Io. Casae* D. Pisis Non. Dec. 1556. a nobis omissa. Ex ea, quae sequuntur, excerpsimus „ Percusserat atrox nuntium aures, literarum columen, virtutum domicilium, Civitatis nostrae lumen extinctum esse „ quando aliquis emerget, cui tam facile succedat, suavissimis versibus eruditorum aures demulcere, qui vetustum seculum repraesentet, nostratibus poetis certet? Addas auctoritatem, gratiam, dignitatemque viri, quamquam melius fortasse fuit ulcus hoc non adtingere; quum enim numquam ad eam dignitatem, quae illi omnium con-

ingeniosus antiquae amicitiae servire, hae una quae restabat via deesse ei nullo pacto voluit. Curavit enim ut Latina *Casae* monimenta, tam vincta, quam soluta conscripta oratione A. MDLXIV. efferrentur in lucem (1). Editioni praefuit *Annibal Oricellarius*, huius praeclari viri e sorore natus, qui etsi esset suo nomine nobilissimus, non mediocri tamen sibi laudi duxit hoc edito monimento se dignum tanta sanguinis, egregiaeque virtutis coniunctione praestare. Prodiit iterum hoc eodem anno, *Victorio* curante, ex officina *Iunctarum Aristotelis* de Arte Poetica liber, duobus voluminibus comprehensus, quorum primum Graeca verba, alterum latina praeferebat.

LIII. At dum literis, musisque vacaret A. CIƆ. IƆ. LXV. *Franciscus*, *Cosmae I.* filius, Magnus Etruriae Princeps, cum *Ioanna* nupsit, nata Hungariae, ac Bohemiae Regina, *Ferdinandi I.* F. Augusti, & *Maximiliani* item II. Imperatoris sorore (2). Ea occasione grandia publicae laetitiae argumenta Florentini dederunt. Nonnulli enim, in quibus *Victorius* (3) pompam

consensu debebatur, evectus fuerit, videtur, eamdem adversam fortunam expertus esse, quam reliqui omnes ornati, atque honesti viri quotidie experiuntur „ nihil ei aliud ad amplissimum sacerdotium defuit, quam summus ille dignitatis apex, quem quidem saepe indignis ultro delatum audimus &c. In Bibl. *Magliab.* Cl. VII. n. 346. Cod. exstat, in quo *Io. Casae* carmen legitur ad *P. Vict.* quod etiam legitur Tom. IV. Oper. *Casae* p. 21. edit. Venet. itemque nonnullae eiusdem *Victorii* Epistolae.

(1) *Io. Casae* Latina monimenta, quorum partim versibus, partim soluta oratione scripta sunt. Flor. ex officina *Iunctar.* 4. Heic nonnullae *Victoris* ad *Casam* Epistolae, ac *Casae* eiusdem carmen ad *Victor.* occurrit. V. Epp. Lib. I. p. 116. Adservantur in Biblioth. *Victoria* Romae „ Rime e Prose di M. *Giovanni* della *Casa*. Venezia per *Niccolò Bevilacqua* MDLVIII. 4. cum adnotationibus MSS. *P. Victorii*.

(2) Ex *P. Victorii* Ep. ad *Cosmum Mediceum* Dat. Eid. Aprilis MDLXV. adparet, optimum Principem sui huius magni, ac solidi gaudii *Victorium* participem reddidisse.

(3) Librum edidit de laudibus *Ioannae* Austriacae Flor. in officina *Iun-*

hanc omnem ludorum, & gaudia faustissimi thalami celebrarunt, alii picturis, formisque luculentissimis civitatem exornarunt, alii denique omni genere spectaculorum populum oblectarunt. Ipse *Pius IV.* Pont. Max. *Carolum Borromaeum*, sororis filium, summum Cardinalem, & post obitum inter superos relatum, ut faustissimis nuptiis divinam opem rite adprecaretur, Florentiam misit. Dici vix potest quanta fuerit laetitia perfusus *Victorius*, qui pluries amplissimum Cardinalem adiit, eique postmodum *Terentii* fabulas, a se expolitas, & impressas, una cum *Faerni* eiusdem *Caroli* Cardinalis familiarissimi emendationibus, dedicavit (1).

LIV. Au-

Iunctarum MDLXVI. 4. quem *Francisco Mediceo* Coniugi dedicavit. Haec Oratio habetur etiam in Collectaneis orationum gratulatoriarum Hanoviae typis *Wenchelianis* apud heredes *Io. Aubrii* A. MDCXIII. p. 321. Italice quoque traducta Flor. prodiit A. MDLXVI. 8. apud *Iunctas*.

(1) Prodiit haec nitidissima editio Flor. typis *Iunctar.* A. 1568. 8. Ep. D. *Caroli* ad *P. Victorium* adservatur Romae in privato *Victoriae* Familiae sacello, atque est huiusmodi.

Molto Magnif. Signore.

Io ero già prima grandemente affettionato alle virtù & honorate qualità di VS. conosciute da me, parte per la relazione & testimonio di molti valenthuomini, e parte per le sue virtuose fatiche, che la fanno chiara, & nota a ciascuno, ma hora si è accresciuto oltremodo l' affettione ch' io li portavo, havendo veduto la singolar bontà, & amorevolezza sua verso la memoria del nostro *Faerno*, la quale ella è stata cagione di ravvivare, procurando, che il *Terenzio* corretto da lui si sia stampato costì in bella forma, & bene emendato, mercè della sua diligenza. Ch' ella poi habbia volentieri preso questa molestia per farne piacere anco a me, questo non pur mi move ad amarla, ma me li fa molto obligato, e la certifico, che non solo io, ma nostro Signore anchora ne sentirà grandissima satisfattione, come quello che amò il *Faerno*, quanto si possa dire. VS. si persuada, ch' io ho ricevuto da lei questo dono con quel lieto animo, che merita, & la ringratio pur assai della bella, ma troppo amorevole Epistola verso me, & in ogni occasione, ch' io potrò, desidero che gli effetti le facciano fede dell' animo, e amor mio. Et Dio Si-

gnor

LIV. Audivit & hoc eodem anno *Leonardum Salviatum* copiosa, & ornata oratione laudantem *Benedictum Varchium*, qui non sine literarum iactura naturae concesserat. Multis siquidem honestis artibus *Varchius* instructus erat, neque ullam, quam non adtigisset, disciplinam reliquerat. Quantumvis licet triste illud officium, ac luctuosum esset, gavisus tamen est summopere *Victorius*, tot ingeniosos adolescentes, ut piis *Varchii* manibus parentarent, convenisse (1).

LV. Vertebat annus MDLXVI. quum *Pius V. Ghisilerius*, tenui natus familia, post *Pii IV.* obitum D. VII. Eid. Ianuar. Cardinalium novem ac quadraginta suffragiis, vir integer atque severus, renunciatus est summus Pontifex. *Victorius*, ut novi Principis gratiam iniret, ei luculentissimam de bello suscipiendo contra Turcas orationem inscripsit (2). *Cosmus* vero Etruriae Dux *Angelum Guicciardinium* (3), *Francisci*, illius *Guicciardinii*, qui Historiam condidit, fratris filium, una cum aliis nobilissimis viris oratorem ad Pontificem misit, ut publice, totoque Cardinalium ordine adstante, excellens sui Principis studium profiteatur, polliceaturque se omnia facturum quaecumque imperasset: ac profecto, Pontifice hortante, centum millia aureorum Galliae Regi commodavit, & cohortes aliquot in hereticos subsidio dedit. Quum enim

 mens

gnor nostro la conservi felicemente in sua santa gratia. Di Roma li 2. di Giugno 1565.

Di VS. *Per farli piacer il Card. Borromeo.*

Infra. M. Piero Vettori

Extra. Al Molto Magnifico Signore honorando M. Piero Vettori „ Fiorenza „

(1) Epp. Lib. III. pag. 133. Ep. ad *Mar. Columnam* dat. Prid. Kal. Febr. MDLXV.

(2) MSS. auctogr. in Bibl. *Magliab.* Cl. XXX. n. 46.

(3) Eum Card. *Sirleto* commendavit *Victor.* Ep. D. V. Kal. Mai. MDLXVI. Lib. VI. p. 137. item *Fulvio Ursino* ib.

mens data esset a Deo huic optimo Pontifici, ut reconciliaret animos Christianorum regum, ac populorum, ipsosque postea ad. bellum gerendum contra immanissimum hostem excitaret, huius laudis, ingentisque gloriae *Cosmus*, quantum humanis consiliis praevideri potest, comes, sociusque fuit. Quem autem fructum tulerit, tanta ipsius sedulitas, auxiliaque magna, quae misit ad maxime pium salutareque bellum administrandum, praeclarissimamque einde victoriam, quod factum est, adipiscendam, neminem latet.

LVI. Praeterea, quum erga suspectos de Religione se *Pius* severissimum exhiberet, eosque per Italiam undequaque conquireret, ab Etruriae Duce petiit, & obtinuit *Petrum Carnesеccam* Florentinum Canonicum, eruditione, ac principum aura superbientem, eoquod pravorum dogmatum reus in caussa Religionis ageretur. Quare cum a sacri Palatii Praefecto Romam adductum, mense Augusto A. CIϽ. IϽ. LXVII. capite plexum, non sine amici *Victorii* maerore (1), flammis absumsit. Quod vero virtute sua, atque incredibili sagacitate *Cosmus* imperii fines protulerit, paeneque universam Etruriam suae ditionis fecerit, quum & Florentinorum lati & opulenti imperii, & Senensium itidem magni, ac fructuosi Dux foret, ac vocaretur, visum est *Pio* Pontifici summis ipsum honoribus, & ampliore Magni Etruriae Ducis titulo honestare (2). Itaque, ut Principi de se optime merenti

(1) V. T. I. Epp. ad *Victor.* p. 128. 130.

(2) His de rebus eo unice *Cosmus* prospexit, ut a Pontifice Magni Ducis titulum obtineret. Ac revera voti compos est factus, & Pontifex coronam *Cosmo* inponendam his verbis inscribi mandavit. PIVS V. PONT. MAX. OB EXIMIAM DILECTIONEM, AC CATHOLICAE RELIGIONIS ZELVM, PRAECIPVVMQVE IVSTITIAE STVDIVM DONAVIT. Vid. etiam Orationem a *Victorio* habitam in funere ejusdem *Cosmi*.

renti gratiam faceret, *Michaelem Bonellium*, Cardinalis Alexandrini fratrem, Florentiam misit, qui tantae dignitatis insignia, sceptrum, coronam, pallium deferret.

LVII. Fatis hoc eodem anno in *Victorium* saevientibus (1), eius uxor interiit, cum qua L. annorum spatio coniunctissime vixerat (2). Verum, ut ipsemet testatur, quamvis imbecillis, & senex, dolori restitit, nec se confici luctu, ac dolore passus est (3). Nullis enim adversis virtus obruitur, quin etiam sua interdum vi erecta frangit adversae impetum fortis, eaque praestat ipsa per se incommodo adcepto, quae ne ab incolumi quidem fortuna praestari posse videbantur.

LVIII. Latebat in thesauris *Mediceae* Bibliothecae antiquus liber *Hipparchi*, quem, quum olim primum legisset, eum huius scriptoris subtilitas inpulit, ut ipsum cum iis, qui cognitionem habent stellarum, conferret. Verum antequam illud inpressori daret, quia audivit in Vaticana Bibliotheca eiusdem scriptoris exemplar alterum custodiri, dedit operam, ut hic e *Mediceo* expressus, cum eo diligentissime conferretur. *Achillis* itidem *Tatii* duo exemplaria non parum discrepantia inter se nactus est (4). Reddita quoque ei Roma fuerunt, una cum *Achille*, scripta quaedam mutilata veterum aliquot doctorum hominum, qui studio ac labore suo, aut *Arati* Poema, aut hanc scientiam siderum illustraverant; & illa ipsa praeterea ple-

(1) Ex Ep. *Ioachimi Frider.* March. Brandemb. a nobis edita Epp. Tom. I. p. 168. adparet saeviente hyeme Anni 1567. morbo, nescio quo, *Victorium* laborasse.

(2) Epp. Lib. VII. p. 153. Epp. ad German. p. 102.

(3) Ibid. pag. 106.

(4) Epp. Lib. VI. p. 136. 150. seqq. *Franc. Vettori* „ Non lasciò di gustare quella parte dell' astrologia, che risguarda l' agricoltura, & la navigazione, & ebbe cognitione delle stelle assai buona, & per questo lesse con diligentia i Phenomeni di *Arato* &c.

plena macularum ; quae tamen quum haud penitus inutilia iudicasset , multis in locis restituta , Graece tantum in lucem protulit (1): *Cosmo Mediceo* Florentinorum Duci , atque Senensium nuncupatum est opus (2) , cui etiam de olearum cultura librum inscripsit (3) , in quo nobilis huius arboris serendae , ac brevi uberem einde fructum percipiendi , eiusdemque longo temporis spatio conservandae , veram rationem , multis initis observationibus , tradidit . Silvas enim recessumque suum Cassianensem , in quo pacatam tranquillamque vitam semper traduxisset , frequens adibat (4) , ut agris suis conserendis sedulo incumbe-

(1) Promisit ea postmodum Latine edere ibid. p. 152. In Biblioth. *Vict.* MSS. exstat Ep. *Alexandri Farnesii* Card. quae est huiusmodi ,,

Molto Magnif. Messer Pietro.

Con mio grandissimo piacere ho veduto il nuovo libro d' *Hipparco* , che mi havete mandato ,, Mi ricordo , che l' anno passato , mi comunicaste alcune correzioni , e riscontri di autori , che havevate fatto sopra *Lucrezio* , quando vi tornasse bene farmene copia , mi sarebbe molto cara , & in quest' ozio , che mi trovo hora in Caprarola , la vederei volentieri , però ve ne priego , come di cosa , che ne son desideroso & state sano . Di Caprarola A. XXX. d' Agosto MDLXVII.

Tutto vostro il Card. Farnese.

(2) Epp. Lib. VI. pag. 150.

(3) Primum prodiit A. MDLXIX. apud *Iunctas* in 4. iterumque A. MDCXXI. Einde Ann. MDCXXII. cum aliis de Agricultura opusculis , ac denique A. MDCGXVIII. curante *Ios. Blanchinio* . Epp. ad Germ. L. III. p. 99. in Ep. ad *Casel.* haec habet *Vict.* ,, Narrabo tibi me scripsisse libellum de cultura olearum , fructibusque magnis & multis , qui capiuntur ex hac nobili stirpe , & quasi confecisse ἐγκώμιον ipsius , atque illum , ut communior sit , patrio nostro sermone .

(4) Id ex *Victorii* , & amicorum Epp. adparet. *Guido Ferrerius* Card. Ep. ad *Vict.* D. Viterbii III. Eid. Oct. 1568. ,, Quum ego diebus elapsis ex balneo Lucensi aquarum calidarum sponte nascentium rediens , ad villam *Alex. Cribellii* Card. quae non longe a tua abest , divertissem , iure optimo in Epistola , quam ad eum scripsisti , iucunditatem , quam dum illic es , recenses , ac etiam laetitiam , quae te , omnesque incolas illius regionis , ex eius adventu cepit , enarras , & demum in eius praeconia inrumpis &c. ,, Quin etiam illuc plurimi nobi-

beret (1). Tanta vero laus, hoc edito opere, Auctori obtigit, ut ex Hispania illud perquisierint (2), & ipse *Maphaeus Barberinus*, postmodum *Vrbanus VIII.* Pont. Max. conscripto Epigrammate commendaverit (3).

LIX. Dum haec cogitaret, atque ageret maxime *Petrus*, nescio qua id potissimum ratione contigerit, per universam Europam de eius morte rumor increbuit. Vnde factum est, ut *Hugo Blotius* Belga, qui postmodum Caesarisa Bibliotheca fuit (4), IV. Kal. Apr. ad *Victorium* literas dederit, veniam petiturus, quod eius imaginem eo inscio, sui licet erga ipsum amoris caussa, in aere incidendam curaverit (5). Quum olim fide-

bilissimi alienigenae, ut *Victorium* inviserent, divertebant, ut ex iisdem Epp. patet. Exemplo sit Ep. *Ioachimi Bassevitii* Dat. Senis Prid. Kal. Sept. 1568. Epp. MSS. p. 185. „ Redierunt huc salvi - *Ant.* Comes in Ortenburg, & ipsius vitae, studiorumque moderator *Seb. Rottinger* I. V. C. & *Bartholdus Luedeke*, quibus nuper literis meis aditum ad te patefeceram. Mihi vero statim paene ex ipsis equis, non solum de singulari humanitate, qua Florentiae primum Filius tuus, & tu ipse postea in villa tua ad S. Cassianum eos complexus es. „

(1) Variar. Lect. Lib. XXXIV. Cap. XXI. Epp. Lib. VI. p. 134. in Ep. ad *Ludov. Beccatellum*. In Ep. ad *Io. Caselium* Epp. ad German. Lib. III. p. 101. itemque ad *Io. Cratonem* Lib. II p. 95.

(2) Epp. Lib. VII. p. 163.

(3) Inter *Vrbani VIII.* Poemata Romae MDCXXXI. p. 200.

(4) *Foppens* Biblioth. Belgic. P. I. p. 491.

(5) Haec imago adservatur Romae in Museo *Victorio* cum hac epigraphe PETRVS VICTORIVS FLORENTINVS ANNVM AGENS LXXX. inferius legitur „ *Hugo Blotius* Belga hanc *P. Victorii* imaginem, studii erga ipsum sui caussa, in aere incidendam curavit MDLXXIV. Incisoris nomen additur, qui est *Cornelius Cort*, de quo *Orlandius* in Abecedario Pictorico, & *Baldinuccius* meminerunt. Errat tamen in *Victorii* aetate designanda. In Ep. *Blotii*, quam suo loco proferemus dat. Vienna IV. Kal. Apr. 1575. haec habentur „ Detulerunt ad me superioribus proximis diebus *Io. Crato*, & *Io. Sambucus* accusationes tuas, te *Blotio* mortuum iam haberi, per eum tui imaginem, inscio te, nec quidquam tale suspicante, in aere incisam, & iam passim divulgatam esse, praesertim cum in imaginis inscriptione te integro lustro seniorem vera aetate fecisset.

fidelis liber Epiſtolarum *Ciceronis* ad *Atticum* in *Victorii* manus deveniſſet, incredibili cura cum ipſo vulgaria contulit exemplaria, ſubſtulitque A. MDLXXI. einde innumeras paene foediſſimas maculas: praecipue vero praeſidio illius exemplaris egregiam retulit laudem, in graecis vocibus, totisque ſententiis eius ſermonis reſtituendis. Quam multae autem lacunae illic eſſent, aut verba graeca parum apte expreſſa, facile omnes diiudicabunt, qui Epiſtolas has ante id tempus exaratas in manus ſumſerint. Et quoniam extitere poſtea eruditi, & ingenioſi viri, qui & ipſi non parum operae poſuerunt in iisdem Epiſtolis recenſendis, multis calamo exaratis libris undequaque collectis; illi tamen ita integrum, ac fidele exemplar nanciſci numquam potuerunt. Quia vero liber hic, quem una cum *Octavio Pantagatho* Ferrariae ſubſpexerat *Ben. Accoltus* Cardinalis, non penitus cognitus antea *Victorio* fuerat (1), neque itidem *Angelo Politiano*, qui de eo honorifice mentionem fecerat (2), rurſus, poſt ſpatium XXXV. annorum, ad eumdem librum confugit, ut ſtudioſorum voluntati in hoc munere obeundo penitus faceret ſatis: eſt autem *Franciſci Petrarcae* manu exaratus, ab eoque reliqua profluxiſſe exemplaria *Victorius* non immerito ſuſpicatur (4). Vt vero inſigue hoc vetuſtatis mo-

(1) V. Ep. huic editioni praemiſſam Epp. Lib. VII. p. 165.

(2) Miſcellaneor. Cap. LIII.

(3) Haec rariſſima editio *Franciſco* Magno Etruriae Principi nuncupata eſt. Prodiit A. 1571. adſervaturque in Bibl. *Victoria* cum titulo „ *M. Tullii Ciceronis Epiſtolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. Fratrem e Bibliotheca Petri Victorii*. Excuſum in fine libri eſt vetuſtiſſimum S. C. Romae inventum, cuius, Latini primum facti, maxima pars interiit; in graecum autem idem ſermonem converſum, paene integrum ſervatum eſt: de hoc S. C. ita *Petrus Victorius* „ Erat mihi commodum hoc S. C. in declarationem quamdam meam intexere, verum quia nondum illae abſolutae ſunt, non

monimentum, quod delicias suas nuncupare consueverat, a temporum iniquitate vindicaret, una cum antiquis Graecis, Latinisque Codicibus, quos sibi studiosissime comparaverat, statuit illud in Bibliothecae *Mediceae* sacrario collocare.

LX. Anno circiter MDLXXIII. aegre admodum ferebat *Victorius*, *Boccaccii* opus, quod Decameron nuncupatur, licet ad arbitrium prudentissimorum hominum emendatum, Romanis Fidei Quaesitoribus non placuisse (1). Quumque eos novas ferre in *Boccaccium* censuras animadverteret, multum operae posuit, per *Guilielmum Sirletum*, ne elegantissimas fabulas lectitare religioni amplius ducerent (2). At *Victorium* ipsum loquentem audiamus, qui has ad *Sirletum* Epistolas dedit „

Monsignore mio Reverendissimo.

Perchè io sò quanta è l' autorità della Signoria Vostra Reverendissima in ogni cosa, e meritamente, non ho voluto mancare di fare questo ufizio seco, e raccomandarle il fiore, e la colonna della nostra lingua, cioè la maggior opera del nostro M. Gio. Boccaccio,

non putavi diutius ipsum posse deberi studiosis veteris memoriae, quare heic adfixi: omnem enim locum opportunum esse duco, rebus tradendis, quae prodesse possint optimis ingeniis. Misit autem ad me praeclarum monimentum *Fulvius Vrsinus*, vir reconditae doctrinae, atque omnis antiquitatis bene peritus, quam, quibuscumque rebus potest illustrat, potest autem multis, & magnis. Quale autem inventum est in parietinis Vrbis, tale ipsum damus, summa cum fide, & diligentia expressum.

(1) Huiusmodi editio prodiit Florentiae A. 1573. 4. eiusque censores a Pont. renunciati fuerunt *Vinc. Borghinius*, *Petrus Franc. Cambius*, *Seb. Antinorius* Vid. *Mannium*, Illustrazione del Decamerone Parte III. Cap. X. Eorum autem animadversiones, & scripta autographa in Laurentiana Bibliotheca recondita sunt.

(2) Prose Fior. Part. IV Vol. IV. Data est Ep. ad *Sirletum* VI. Febr. MDLXXIII.

caccio, *la quale ritraggo, che si tenta costì di nuovo lacerare. Come ella può avere udito questi nobili ingegni, i quali presono la cura di ristamparla, si sono governati intorno a ciò con gran fede, e osservata in tutto, e per tutto quella censura, che crederei, che avesse avuto a bastare. Ora se si cerca di trarne tutto quello, che vi è di vano, e piacevole, non vi rimarrà nulla, perchè finalmente elle son favole, e, come si chiamano, Novelle, nelle quali però è questo di buono, che aiutano a passar tempo a molti, che pure ha bisogno la vita nostra di qualche trastullo per medicina di tanti travagli, che si sopportano in essa. ,, Merita considerazione ancora la difficoltà di condur questa impresa, perchè io tengo inpossibile oggi a trarla di mano agli affezionati di essa, i quali sono infiniti, e forse sarebbe il meglio non metter mano in imprese sì malagevoli a condurre, che non pare a molti peccare a leggere un libro, il quale è stato comportato, e concesso che si vegga da tanti e tanti Papi; ma non voglio toccare nuovi argomenti in difendere, che non sia bene di nuovo proibirla, poichè è stata concessa da Capi gravi, e severi ,, Io secondo l' età, nella quale mi trovo, sto molto bene, e seguito di studiare più che facessi mai. Nostro Signore Dio conservi la Signoria Vostra Reverendissima felicemente. Di Firenze alli 6. di Febbraio 1573.*

Di VS. Illustrissima

Amorevoliss. Servitore
Pietro Vettori.

LXI. A. MDLXXIV. XI. Kal. Maias *Cosmas I.* Magnus Etruriae Dux naturae concessit, quum imperasset A. XXXVIII. Vir, qui, ut virtutibus eluxit,

xit, ſic vitiis eſt obrutus. Principi funus indictum in Laurentiana Baſilica, & *Victorius* potiſſimum delectus eſt, qui XVI. Kal. Iunias orationem diſertiſſimam pronunciaret (1). Quin & eodem anno, iterum ibi oratoris munere functus eſt, quum piis *Maximiliani II.* Imperatoris manibus iuſta perſolverentur (2).

LXII. Contigit hoc tempore, quo difficillimum opus in VIII. libros *Ariſtotelis* de optimo ſtatu Civitatis ederet (3), ut *Iunctis* typographis Florentinis commodum eſſet excudere ea quae ſuperſunt *C. Criſpi* monimenta. Amore, quo politiſſimum ſcriptorem proſequebatur, mirifice captus, effecit, melior ut opera ſtudioque ſuo redderetur. Vt vero tutius hoc faceret, duos antiquos Codices e *Medicea* Bibliotheca depromſit, quos una cum altero ipſius vetuſtiſſimo exemplari Langobardicis literis exarato contulit, quod iampridem in eodem munere obeundo uſurpaverat.

(1) Vid. Ep. ad *Caſelium* qua ei orationem hanc dono miſit, adfirmatque ſero huic muneri obeundo delectum fuiſſe. Epp. ad Germ. L. III. p. 125.

(2) Eam *Erneſto* Bavarico, cuius ad *Victor.* Epiſt. ſuo loco proferemus, nuncupavit, cum quo Florentiae familiariter egerat. Hanc vero orationem in vernaculum ſermonem tranſtulit *Franc. Bocchius* Flor. hoc eodem anno impreſſam.

(3) Prodiit G. & L. ſub auſpiciis *Franciſci* M. E. D. fol. Iam ab anno 1569. opus urgebat, ut patet ex Ep. ad *Caſelium* dat. Eid. Dec. 1569. Epp. ad Germ. Lib. III. p. 99. Quum enim tu mihi, & alii plures amici ſuaſeritis, ut adgrediar ad opus illud multarum vigiliarum, conerque explicare libros *Ariſtotelis* de optimo ſtatu Civitatis, ſcio nunc me nihil aliud moliri, incumbereque in eam curam toto animo. Nullum enim ſino diem praeterire, quo non aliquid notem, quod eo faciat, etiamque aliquid e tam magno cumulo difficultatum. Ib. in altera ad *Caſ.* Ep. D. Non. Mart. 1574. p. 24. Vrgeo enim opus illud magnum, quod ſuſcepi fortaſſe non ſatis prudenter, totoque animo in eo occupatus ſum. Aetas autem gravis me admonet, ut properem. Quare omnis hora, quae mihi eripitur, exiſtimatur a me tardare illam curam.

LXIII. Interim vero *Victorium*, ac universos Florentinos exhilaravit adventus *Hernesti*, Norici Dynastae filii (1), & *Andreae* Austriaci, *Ferdinandi* Archiducis Austriae filii, & Magni Etruriae Ducis adfinis, qui a *Gregorio XIII.* Pont. Max. An. CIↃ. IↃ. LXXVI. in sacrum Senatum cooptatus, Romam suae dignitatis insignia adcepturus proficiscebatur. Quin & communis gaudii particeps *Victorius* fuit, quum insequenti anno filius Magno Duci natus est, cui *Philippo* nomen inditum., & ingentis laetitiae argumenta, ludis festisque indictis, universa Civitas dedit. At quoniam nulla est voluptas, quae dolore careat, paullo post anno videlicet CIↃ. IↃ. LXXVIII. IV. Eid. Aprilis *Ioanna* Regina, Magni Ducis uxor, praegnans interiit, incredibili sui desiderio Coniugi, Florentinis, atque universae Etruriae relicto (2). Einde vero disertissimam orationem in Laurentiano Templo

(1) *Seb. Sanleonin.* Ep. ad *Vict.* MSS. a nobis suo loco edenda Dat. Flor. IV. Non. Oct. 1576. ,, *Hernestum*, Norici Dynastae filium, in eius ad Vrbem nostram adventu, *Franc. Medices* Princeps noster officiosissimus, obsequii gratia tibi commendavit. Is quum te comite ad Castelliam villam iter haberet, nullumque Castellianos hortos laudandi finem faceret, ea de re a me tertio Actionum *Cosmianarum* libro tam amoeni ruris laudator introducitur. Eamdem fortasse orationem, quam de tam exacto illius viridarii iudicio tecum habuit, singulis alternis quatuor carminibus a me descriptam, ad Te itidem mitto &c. Vid. *Cosmianar.* Action. Lib. III. p. 81. Flor. typis *Georgii Marescotti* 1578. 4. ubi p. 79. aliud legitur carmen, cuius argumentum est ,, Oppido Sancassiani in agro Pesiano, non longe a Florentinis moenibus constituto a *M. Cosmo Medice* validissimis propugnaculis munito. Doctissimus *Petrus Victorius*, quum in suo propinquo rure Decimano, per mensem Septembris, animo, corporisque viribus recreandis indulgeret, prudentissimum magni Ducis consilium in oppido muniendo laudare introducitur.

(2) Huc referenda est anonimi Ep. quam profert clariss. *Lamius* in Vita *Riccardii*, quae incipit ,, Ain Tu? vivit & valet *Victorius* noster? & magnus senex pulcherrimis literarum monimentis patriam suam illustrare pergit. O gratum mihi, o iu-

plo *Victorius* dixit, quum iusta piis *Maximiliani II.* Imper. manibus persolverentur (1).

LXIV. Audita interim *Gregorii XIII.* Pont. Max. effusa erga humaniores literas voluntate, non potuit *Victorius* non magnopere commoveri. Etenim ut Graecus ille sermo antiquus, & eruditus a pueris, & a propriis eius gentis, & alienigenis perdisceretur, Collegium erexit omnibus rebus absolutum, quae ad tam eximium opus conducere videbantur. Eo siquidem intenderat sapientissimus Pontifex, ut einde emergerent homines, qui studio, diligentiaque sua Christianam pietatem altius eveherent, & praestantissima Graecorum Patrum scripta Graece, & Latine, nitidissimis formis exprimerent (2). *Victorius* igitur optimo Pontifici ardentiores stimulos per literas addidit, operamque suam omnem huic rei perficiundae pollicitus est (3), longa licet, gravisque senectus ob-

cundum nuntium! nam superioribus mensibus, quae nolebamus, heic de illo sparsa erant, &c. Ea autem Ep. auctor, quem *Lamius*, *M. Ant. Muretum* fuisse arbitratur, Elegiam de obitu *Ioannae* Reginae ad *Riccardum* misit. Quod, ut credam, non facile adducor, animadvertens, gravissimas *Muretum* inter, ac *Victorium* nostrum simultates intercessisse, ut ex editis, edendisque Epistolis liquido patet.

(1) Edita est in calce Epp. p. 60.

(2) Vid. *Vict.* Ep. ad *Gregorium XIII.* Epp. Lib. VIII. p. 190.

(3) Hinc *Gabriel* Card. *Paleottus* ita *Victorium* ad Ecclesiastica studia excolenda hortatur Ep. MSS. D. Bonon. XVII. Kal. Nov. MDLXXVII. Quod si tu ipse, doctissime *Victori*, cuius multiplicem eruditionem, orationisque gravitatem & elegantiam omnes admirantur, praeclarum istud ingenium ad historiam Ecclesiasticam conscribendam, aut ad sacros fastos, sive ad Sanctorum vitas, quos Florentia genuit, aut qui aliunde oriundi isthic conquiescunt, sive ad insigniora omnia, quae ad Christianam pietatem pertinent, & in ditione Magni, & Serenissimi Etruriae Ducis visuntur, in unum colligenda, atque exornanda, seu ad selectiores aliquot homilias *S. Basilii*, *Nazianzeni*, *Chrysostomi*, latine reddendas; sive ad *Epiphanii* libros, qui doctiorum postulant auxilium, vertendos, & scholiis illustrandos, sive ad maiora alia, quae tuo se ingenio, divina tibi adspirante gratia,

obstaret (1). Maximi siquidem Pontifex semper *Victorium* fecerat (2), qui eum non semel Romam amplissimis conditionibus evocaverat (3). Hinc quum *Iacobus Boncompagnus* Sorae Dux, itemque Romanae militiae Imperator, cum eodem Pontifice arcta adfinitate coniunctus, Florentiam venisset, ut Principis infantis (4), de quo supra meminimus, sacra initia exornaret, multis sibi ipsum officiis devinxerat (5).

LXV. Prodierunt hoc eodem anno & *Io. Matthaei Tuscani* carmina, quibus doctorum hominum, qui longo temporis spatio in Italia floruerunt, ac *Victorii* in primis laudes, ac naturae dotes summopere extulerat (6), itemque *Victorii* eiusdem Epistolarum

tia, offerent, adgredienda, te converteris; nae sacrosancto labentis vitae tuae cursum sigillo obsignabis, gloriosumque tui ad omnem posteritatem exemplum relinquens inmortalem tibi in caelis triumphum comparabis. Videnda est *Victorii* ad eum Ep, Lib. VIII. Epp. p. 194.

(1) Haec tamen de sua prospera senectute habet in Ep. ad *Guliel.* Card. *Sirletum* Epp. Lib. IX. pag. 212. „ Narrabo nunc, quae grata vehementer tibi futura spero, me valere, integroque admodum corpore esse, ut senem, vel potius plusquam senem; totoque animo versari in meis veteribus studiis, quibus potius addidi aliquid, quam ipsa remiserim &c.

(2) Praestat heic prae reliquis Ep. proferre, quae MSS. legitur in Biblioth. *Victoria* Romae „

M. Magn. Sig. come fratello.

Havendo la Santità di N. S. fatto stampare il Concilio Fiorentino in greco, m' ha ordinato che ne mandi uno a VS. che so certo ne haverà piacere per la buona mente, che vede di Sua Beatitudine, & per farsele parte, come a degno Cittadino di quella nobil Città, di sì santa opera, che vi si fece dello Spirito Santo. Iddio nostro Signore conservi VS. e le dia ogni contento, & prosperità, come io le desidero, & la prego, con offerirmele pronto al solito ad ogni suo servitio. Di Roma a 10. di Gennaio 1578.

Come Fratello Gul. Card. Sirleto.

(3) *Salvini.* l. c.

(4) Obiit Kal. Mart. 1582.

(5) Epp. Lib. IX. p. 199. Ep. ad *Iac. Boncomp.*

(6) Peplus Italiae *Io. Matthaei Toscani* opus, in quo illustres viri Grammatici, Oratores &c. quotquot tre-

larum ad Germanos libri tres (1), quos *Io. Caselius*, non sine optimi praeceptoris sui laude, studiose collegerat. Haec enim in Epistola ad *Ioachimum Fridericum* Marchionem Brandeburgensem huic editioni praemissa, de *Victorio* honorifice praedicavit „ Quum constituissem apud me hos tres Epistolarum *P. Victorii* ad Germanos missarum libros edere, idque profiteri valde etiam cuperem, in tuo potissimum eos nomine, *Ioachime Friderice*, Princeps illustrissime, apparere volui. Putabam enim, eos tibi prae omnibus deberi, qui inter omnes, ad quos illae exaratae sunt, principem locum teneas: insuper ex longo intervallo novum veteris meae in te observantiae signum hac ratione edere volui. Sed librum hunc futurum tibi gratissimum omnino mihi persuadeo, tum quia sunt heic digna lectu omnia, pleraque iucunda, multa vitae utilia, quod quum multi politi homines animadverterent, non contenti exemplis aliquot Epistolarum, omnium editionem flagitarunt, quam perpetuo publicae utilitati negare nolui, facilioremque me praebui, ut longe plures elicerem, tum quia in viris doctrina recondita, & vera virtute excellentibus plurimi facis, & colis *Petrum Victorium*. In quo te recte facere si ostendere velim, multa de viro illo praestantissimo dicenda forent, quae omnia vere possum dicere: neque non & id feci alias, & faciam in posterum saepius: nunc e ceteris hoc unum referam: nullum in Italia vidisse me hominem aeque φιλογέρμανον, uti ille est, cuiusmodi paucis an-

trecentis ab hinc annis tota Italia floruerunt, recensentur. Lutetiae ex officina *Frid. Morelli* 1578. 8. ibi occurrit *P. Victor.* elogium Lib. IV. n. 182. Vid. ad eumdem *Toscanum Victorii* Ep. Lib. VIII. p. 195.

(1) 8. Huius rarissimae in Italia editionis unicum exemplar exstat in Bibl. *Victor.* Romae.

ante seculis fuisse *Raphaelem Maphaeum* ipse, & alibi, & Volaterris, quum eius Pronepotes, mihi amicissimi adolescentes me domi suae humanissime exciperent, audivi: itaque & quotidie illius aedes a Germanis frequentabantur. Germanos, inquam, semper suspexit *Victorius*, alienissimus a morbo invidiae, quae ut cibus esse fertur plerisque mortalium, fortitudinis Germanicae, itemque integritatis summus & amator, & praedicator. Merito igitur nostrae gentis studiosissimum hominem veneramur &c. Rostochio Kal. Mart. A. MDLXXVII. (1).

LXVI. Alienis insuper commodis inservire satagens; multa, quae ad nobilissimae *Gondiae* familiae historiam contexendam pertinent, studiose collegit (2). egit-

(1) *Paulus Melissus* in Ep. MS. ad *Vict.* Dat. Senis XIIX. Kal. Ian. sine anno ,, Libros tres Epistolarum tuarum ad Germanos scriptarum in lucem a *Caselio* editos audivi, idque Catalogus nundinar. Francof. abunde testatus est. Subdubito, utrum id te insciente factum: quare me de eo certiorem facias oro. Annum praeterea natalis tui mihi significari velim. ,,

(2) In Bibl. *Victor.* Romae adservantur Epp. ad *Victor.* ab *Alberto Gondio* Retzii Duce datae. Ex una D. Parisiis D. XXV. Martii 1579. haec habentur.

Monsieur

J' ay esté advertis, par mon Cousin le Sr. *Iehan Baptiste Gondy* de la peyne, qu il vous a pleu prendre pour moy, au faict qui s' est offert par de la pour faire les preuves de la noblesse de notre Maison, mesmes j' ai veu ce que vous en aves dict, lorsque vous en aves esté requis en iustices. J' ay esté de tout temps affectionné aux vertus qui reluisent en vus, & les quelles ne sont pas moins reconnues en ce royaume, que aux autre pays, qui m' ont incité a honorer & vous, & votre nom. &c. Ex altera D. ibid. XXIII. Martii 1580.

Monsieur

I' ay esté amplement adverty par mon Cousin le Sr. *Iehan Bapt. de Gondy* de la bonne volonté que aves monstré en la preuve de la noblesse de notre maison, & aussy j' ay veu par vos depositions la peine & la diligence dont aves usé a rechercher les aliances, & degres, qui la concernoient, une partye des quelles nous estoient incogneues, occasion

egitque A. MDLXXVIII. cum *Gulielmo* Card. *Sirleto* de *Nicolai Machiavelli* operibus recensendis, sublatisque iis, quae Romanam Ecclesiam offenderent, in lucem denuo proferendis (1).

sion qui ma meu vous escrire la presente pour vous en remercier tres affecteusement & vous offrir tout ce que j' auray de moien pour m' en revancher ou me voudres emploier & me resentant avec ceulx de notre maison, obliges a ce faire d' aussy bon coeur, que je me recommande a voz bonnes graces pryant Dieu, Monsieur, vous donner en santè longue vie avec l'accomplissement de vos desirs. De Paris ce xxiii. jour de Mars 1580.

Votre entierement mellee & plus affectionné amy. *De Gondy.*

A Monsieur
Le Seigneur *Pierre Vettorj* Gentilhome Florentin A Florence.

Monsieur

J' ay estè adverty, par mon Cousin le Seigneur *Ichan Baptiste Gondy* de la peyne qu il vous a pleu prendre pour moy, au faict qui s' est offert par de la, pour faire les preuves de la noblesse de notre Maison, mesmes J' ay veu ce que vous en aves dict lorsque vous en aves estè requis en justice. J' ay estè de tout temps affectionné aux vertus qui reluisent en vous, & les quelles ne sont pas moins reconnues en ce royaume, que aux autres pays, qui m' ont incité a honorer, & vous, & votre nom. Mais maintenant, estant adjousté a ce que dessus, l' obligation particuliere, je n' ay volu faillir de vous en remercier tres affectueusement, & vous prier de penser que la ou je pourray, j' employeray tousjours mon pouvoir, en tout ce qui pourra toucher a vous, & aux vostres, & de quoy je vous prie en faire estat, vous asseurant, que vous aves en ces quartiers un amy, qui desire vous monstrer qui vous est tresaffectionné amy. Et en cet endroict je prie Dieu, Monsieur, vous donner en santè longue & heureuse vie, avec l' accomplissement de vos desirs. De Paris ce xxv. Mars 1579.

Votre entierement meilleur amy & plus affectionné a vos services. *De Gondy.*

A Monsieur
Le Seigneur *Pierre de Vettorj*.

Historia *Gondiae* Familiae Parisiis excusa fuit Ann. MDCCV. curante *Corbinellio* Vol. II. 4.

(1) Pros. Fior. T. IV. Vol. IV. L. XXI.

Monsignor mio Illustriss.

Egli è passato lungo tempo, che io non ho scritto alla Signoria Vostra Reverendissima per essere in tutto que-

LXVII. Quamquam vero in liberales disciplinas *Victorius* toto animo traheretur, non tamen interea solicitam domesticae rei curam neglexit. Vt enim sapientiae studium viro ingenuo, & liberali, ita haec prudenti, gravique homine digna est. At nondum in tam longa vita re quapiam adversa fuerat conflictatus, impetumque in se fortunae maiorem senserat, quam de exitu litis cuiusdam, qua reliquum anni tempus molestum ac luctuosum ei fuit (1). Lugubrem hunc

questo spazio vissuto in grandi affanni, come forse Ella può avere inteso, i quali però non sono ancora terminati. Questa sono stato forzato a scrivere per sodisfare a due Nipoti di *Niccolò Machiavelli*, l' uno nato di un suo figliuolo, l' altro d' una sua figliuola, il quale è genero di *Iacopo* mio. Questi due, ciaschuno di essi di buon ingegno e lettere, anno con gran diligenza lette, e esaminate le opere del loro avolo, e dicono di averle ben purgate, e levatone tutto quello, che potesse dispiacere alla S. Romana Chiesa. Io già non le ho viste, nè posso far fede, che la cosa stia così; ma stimo bene, che trattone tutto quello, che potesse nuocere alla vita Cristiana, il darle di nuovo fuora emendate, e viste prima, e approvate da VS. Reverendissima non potesse essere se non di giovamento a chi si diletta delle memorie antiche, perchè egli fu uomo di grande ingegno, e molto pratico nelle cose del mondo, e io sentiva dire in que' tempi, che elle uscirono fuora, che egli aveva insegnato cavar vero frutto dalle storie, e massimamente in que' suoi discorsi ec. Di Villa a S. Casciano li 17. di Maggio 1578.

Di VS. Illustriss. e Reverendiss.

Serv. affezionatissimo
Pier Vettori.

(1) Ad Caussam dicendam Romam misit *Franc. Victorium* nepotem suum, quem his literis *Sirleto* Cardinali commendavit. Prof. Fior. l. c. Lett. XXII. „ *Francesco* mio nipote porgerà questa alla Signoria Vostra Reverendissima che viene costì per conto di una nostra lite per aiutarla, come giurisconsulto, che egli è. Fra le prime commissioni, che egli à da me, è di salutarla, e baciarle la mano. Non posso fare, che contro a mia voglia, scrivendo a VS. Reverendiss. non tocchi qualcosa delle mie grandi avversità, e comincio ὕστερον πρότερον. Questo buon giovane era allevato, ed instrutto per servire codesta Corte „ ora in sul voler tentare questa fortuna ci è mancato per morte un' altro mio Nipote di età di anni 17. „ l' altro grave male è, che *Iacopo* mio, un anno fa, maritando una sua

hunc casum subsequuta est mors *Petri* suavissimi nepotis sui, quem dum vix annum aetatis ageret XVIII. omnibus ingenii dotibus cumulatum inmatura morte sublatum deflevit (1).

LXVIII. Habuit interim *Victorius* unde tot adversos fortunae casus ingenti aliqua consolatione leniret. Namque, ut traditum a me est, quum *Ioanna* Regina diem obiisset suum, *Franc. Mar.* M. E. D. *Blancam Barptolemaei* filiam *Capelliam* feminam Venetam

sua figliuola, fu ingannato, e tradito da un suo amico fedelissimo, e la dette con grossa dote, e tutte le buone parti dell' animo, e del corpo a uno stupido, e furioso prima, e poi, come è noto a tutta la Città. E questo è ora quello che noi siamo dietro di dissolvere questo matrimonio, pieno di miserie per noi, e di vergogna, e la causa si agita costì, come intenderà, o forse à già inteso VS. Reverendiss. A questo io non mi posso accordare, perchè è ingiuria troppo atroce, e che si tira dietro tutti i pericoli e danni. La mia nipote è con esso noi in casa, e stette pochi giorni col falso Marito, *rediitque integra* &c. di Villa a S. Casciano li 12. di Ottobre 1578.

Servit. affetionatissimo
Pier Vettori.

Caussam praeterea commendavit *Ant. Vaccae* I. C. celeberrimo, cuius ad *Vict.* officiosissima exstat Ep. MS. D. Rom. Eid. Feb. 1579. Ex Ep. D. 8. Apr. adparet, quod voti sui compos est factus, solutumque est Matrimonium, sententia lata a Sacrae Rotae Romanae Auditoribus. Vid. Prose Fiorentine l. c.

(1) Epp. Lib. IX. p. 198. *Fr. Victor.* l. c. De' nipoti maschi fece con gran diligentia studiare a *Francesco*, & considerato, che a questi tempi lo studio delle leggi è più in pregio, che gli altri, vedendo l' inclinazion di lui vi compiacque, che vi attendessi, & l' amò straordinariamente. Ne ebbe un altro, che si chiamò *Piero* di ammirabile memoria, & maniera, & ingegno singularissimo, al quale conosciute le sue gran doti, insegnava con ogni affetto di amore, & di età di anni 18. l' aveva condotto a termine, che leggeva con gran facilità i Poeti Greci, & in quella lingua, e nella Latina faceva versi molto lodati,, ma il vaiolo perniziоso male l' ammazzò l' A. 18. di sua vita. *Matthaeus Corvulus* huius optimi adolescentis acerbam mortem deflevit Carmine, quod ad *Victor.* misit, una cum literis MSS Dat. Senis Eid. Mart. 1578. *Albertus Bolognettus* Pontificius apud M. E. D. Legatus *Victorii* dolorem lenire conatus est. Epp. Lib. IX. p. 197. Vid. & Ep. ad *Ang. Guicciard.* ibid. p. 198.

nctam patricii generis uxorem duxit. Incredibili omnium ordinum laetitia, ludis, spectaculis, & muneribus editis hae nuptiae, utrisque postmodum nefastae, celebratae sunt. Tum *Victorius* opportunissimam occasionem nactus, Principi suo Commentaria in libros *Aristotelis* de arte dicendi dedicavit (1). Illos enim quum olim animadverteret a vetustate, & inscitia superiorum temporum foedissimis maculis contaminatos, officii sui esse ratus est, tanto malo, si ulla ratione posset, mederi. Itaque conquisitis multis vetustis exemplaribus, fideque eorum diligenter perspecta, quae vera ratio est delendi maculas ex antiquis auctoribus, studuit menda, quae varii generis, eorum nitorem inquinarant, tollere, ac declarare. In quo quidem plurimum illi laborandum fuit, ut exempla, quibus auctor usus fuerat in sententiis suis confirmandis, & testimonio optimorum scriptorum roborandis adsequeretur, quum concise illa, & obscure posita ab eo forent. Legendi ideo illi fuerunt cuncti paene antiqui poetae, atque oratores, unde illa sumta erant, & huc translata, suisque locis illustrandis apte adplicata (2).

LXIX. Erant hae curae, cogitationesque *Victorii*, procurabatque ille in dies commoda Reipublicae literariae, quum repente incredibili adfectus est voluptate, humanissimis adceptis literis ab *Henrico III.* Gallorum Rege, cui opus obtulerat a se recens in vulgus traditum (3). Quid enim ei usu venire potuit, ho-

(1) Ep. dat. Florent. XI. Kal. Sept. 1579.

(2) L. c. & in Ep. ad *Petrum Gondium* Episcopum Parisiensem Epp. Lib. IX. p. 208.

(3) Proferendae a nobis heic sunt Regis ipsius literae, quae sunt huiusmodi.

Sr. Vettori.

J'ay receu les livres, que m'avez faict presenter par mon Cousin le Mare-scial

honestius, & ad gloriam adipiscendam praeclarius, quam laudari, & ferri in caelum a sapientissimo Principe, & quod Galliae Regum proprium fuit semper ac familiare, summo amatore eorum, qui nomen aliquod in studiis literarum sunt consequuti (1).

LXX. Haec inter, quum desiderio non parvo teneretur pervulgandi scripta quaedam Graecorum veterum, per literas interpellavit (2) *Petrum Ant. Iacominium Tebalduccium Malaspinam*, qui Lugduni utiliter gerebat negociationes, ut videret, an in ea tellure, in qua florebat Graeca lingua, & eruditio, aliquis esset, qui curam hanc suscipere vellet. Ei interim misit duas nobilium Oratorum Vitas, a *Dionysio* illo *Halicarnasseo* conscriptas, *Isaei* videlicet, qui *Demosthenem* erudiverat, & *Dinarchi*, magni & ipsius nominis oratoris; quas ex unico vetusto *Mediceae* Bibliothecae Codice exscripserat (3). Mox variarum Lectionum Libri XXXVIII. omnes simul Florentiae ab *Iunctis* Typographis magnifice excusi sunt (4).

LXXI. Saeviente hyeme, A. MDLXXXIII. vires paene omnes *Victorius* amisit, ac sua licet intermit-

scial *de Retz*, les quelz m' ont esté fort agreables, tant par le rapport qui ma esté faict de vous, la connoissance que jay de votre scavoir, que pour la tres grande affection que portez a mon service. A ceste cause j' ay bien voulu vous en remercier, & vous faire entendre, que en consideration de votre bonne volonté, & de voz qualitez, je vous feray toujours plaisir, la ou l' occasion se presentera, & en cet endroict je prieray Dieu, Sr. *Vettori*, vous avois en sa garde. Escript a Paris. Le vint jour de Mars 1580.

HENRY.

Deneufuille S.

(1) Vid. *Vict.* ad Galliar. Reg. Epp. Lib. IX. p. 209. & Lib. X. p. 123.

(2) Epp. Lib. IX. p. 210. Pros. Fior. P. IV. Vol. IV. L. 26.

(3) Excusae sunt Lugd. A. 1580.

(4) Flor. 1582. fol.

mittere ſtudia coactus fuerit (1), *Antonium Benivienum* inpulit, ut *Petri Victorii* Senioris adfinis ſui vitam literis commendaret. Quod quidem onus ſibi inponi ſummopere gaviſus eſt, eamque eodem anno in medium protulit (2). Quin & *Scipionis Admirati* lucubrationes libenter legit, atque probavit, praecipue vero quod in opuſculo, cui titulus *Parallela*, inter alia, ea laude *Victorius* adficiebatur, ut *Iſocrati* Atheniensi Oratori aequipararetur, qui dum annum aetatis ageret LXXXIV. librum abſolutiſsimum edidit, cui Panathenaico titulus eſt. Quum enim *Victorius* hoc anno ad parem devenisſet aetatem, ſuas in libros *Ariſtotelis* de moribus declarationes abſolvit, & auſpice *Franc. Mar. Roboreo* Vrbini Duce (3) in turbam dedit. Ceperat iam a plurimis annis hoc *Ariſtotelis* opus verſare (4), & quo magis partem ipſius aliquam prae ma-

(1) Vid. Ep. ad Card. *Sirletum* D. XXVI. April. 1583. Prof. Fior. l. c. num. XXIII. *Latinus Latinius* Tom. II. Epp. Viterbii 1667. 4. nonnullas ad *Victorium* dedit. Earum una Dat. X. Kal. Ian. 1583. ita incipit „ Noli mirari, *Victori* eruditiſs. ſi ſeptuagenarius quum ſim, nullaque paene ſcribendi facultate praeditus, ad Te, nunc tandem, annum ſupra LXXX. agentem, ut latine ſcriberem, adductus ſum.

(2) Typis *Iunctar.* 4. Plurima ibi *Petri* noſtri laudum encomia occurrunt, praecipue vero in Ep. nuncupat. ad *Baccium Valor.* & in eadem vita p. 78. ſeqq. Vid. & cit. Ep. ad Card. *Sirlet.*

(3) Dat. eſt Ep. Flor. VIII. Kl. Octobr. 1584. incipit „ Vere laetus, fauſtusque mihi fuit dies ille, quo Tu, Sereniſſime Princeps, Florentiam veniſti, viſendi Magni noſtri Ducis cauſſa, & de communibus, publicisque rebus una cum ipſo colloquendi: quum enim ego tempore illo anni, valde apto, vel neceſſario potius, poſt maximos calores, corpore reficiendo ruſticarer, poſcente te hoc, ſubito evocatus ſum, in urbemque redire iuſſus, quod feci libenter „ Statim autem ut veni mihi mandatum fuit, ut tibi obſequerer, ac voluntati tuae cunctis in rebus parerem „ Accedere voluiſti ad vetuſtam, & copioſam omnis generis ſcriptorum *Mediceam* Bibliothecam „ in quo honeſto conſilio explendo; & digno omni nobili, et praeſtanti Perſona, ego operam meam praebui fidelem, & accuratam, ob veterem meum uſum, & tractationem ipſius &c.

(4) V. Epp. Lib. IX. p. 213.

manibus tenebat, adcurateque legebat, eo magis amore illius incendebatur, & quam uberes einde fructus ex eiusdem lectione percipi possent, intelligebat. Quum igitur aliquid ita se profecisse existimaverit, voluit experiri, an in eo declarando studiosis bonarum artium adolescentibus aliquid prodesse posset. Itaque in dies crescente eius desiderio optima alendi ingenia, labores, quos in tam inprobo conatu suo sustinuisset, censuit publicandos. Vnum vero in primis arduum, ac molestum illi fuit, valde repugnans illud quidem conatibus his, & honestis studiis, senectus scilicet summa, & gravis (1). Huic tamen incommodo succurrit vetus amicus suus, singularis ingenii vir *Carolus Oricellarius*, quo cum alia multa *Aristotelis* monimenta perlegit, & in hoc, quod seorsim sibi *Victorius* declarandum susceperat, ille quoque studio suo, ac diligentia non mediocrem illi opem tulit (2).

LXXII. Quum vero eo in opere *Victorius* idoneam esset occasionem nactus laudandi *Gregorium XIII.* Pont. Max. qui perturbatum anni ordinem correxit, in eo loco, ubi mentio ab *Aristotele* fit *Eudoxi Cnidii* mathematici, qui multa e fastis vitia sustulit, id quod etiam *Iulius* Caesar praestitit in maxima potestate rerum omnium, atque imperio conlocatus, has ab humanissimo Pontifice Epistolas retulit „

Gregorius PP. XIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam Ben. Quidquid unquam Dei gloriae causa cogitavimus, conatique sumus, divinae Bonitati acceptum ferimus; Nostram ve-

(1) Vid. Epp. ad Card. *Sirletum* & ad *Baccium Valorium* Prof. Fior. l. c. E. 33.

(2) Id *Victor.* fatetur in operis Praef. ad lectorem.

vero in eo laudem nullam agnoscimus, memores praecepti Apostoli, Dominique nostri Iesu Christi. Neque enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; ipse enim dat velle, & perficere pro bona voluntate. Rebus vero perfectis sic sentiat de se quisque, fateaturque, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Quamobrem eas laudes, quas nobis tribuis, nactus ex Anni correctione occasionem, nos, ut scribis, ad caelum ferendum, tribue Deo coeli, atque ora, ut consilia, rationes, conatusque nostros omnes dirigat ad sui nominis gloriam, sanctaeque Ecclesiae suae amplitudinem. Erit hoc nobis gratissimum. Amamus pietatem tuam, laetamurque te ista aetate, integra, optimaque valetudine uti, inque scribendo, & studiis literarum versari quam maxime. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die vj. Novembris MDLXXXiiij. Pontificatus Nostri Anno Decimo tertio

Ant. Buccapadulius (1).

Tum forte cusum est numisma maximi moduli, in quo *Victorii* effigies ad vivum exprimitur, literis circum ductis, quarum talis est sententia, PET. VICTORIVS · AET. SVAE · AN. LXXXV. Altera vero in parte numismatis stat Minerva, tali inscripto versiculo SI MIHI SVSCEPTVM. *Victorii* enim eruditionem adeo Graecia omnis, & Latium admirabatur, ut eruditi ea aetate viri, veluti decertarent inter se in eius laudibus ad coelum usque efferendis, quae quidem non incertae inpotentisque fortunae munera, sed fructus fuere uberrimi magnae cuiusdam, & corroboratae virtutis.

LXXIII. Re-

(1) *Extra.* Dilecto Filio *Petro Victorio*. Adservatur Romae in Bibl. *Vict.*

LXXIII. Recrudescente hyeme A. MDLXXXV. multorum mensium intervallo adversa valetudine cepit conflictari, quae eius vires maxime labefactavit, nec potuit amplius indulgere veteri suae vitae instituto (1). Quare iussu Magni Ducis, qui *Victorium*, incredibili prosequebatur (2) benevolentia, ab onere docendi publice destitit. In reliquis autem, quibus premebatur angoribus, illud praecipuum erat, quod deinceps legere, ac scribere, nisi magna cum difficultate valeret; dum enim annum aetatis ageret LXXXVI. se alterius oculi lumine repente captum animadvertit (3). Tandem sub autumni exitum, ingravescente in dies morbo, se iam decessurum sentiens, Sanctissimis Ecclesiae Sacramentis praemuniri voluit (4). Quamvis admonitus ab amicis esset, ut sibi

(1) Vid. *Victorii* Ep. ad *Alex.* Card. *Medicem* Lib. X. p. 224. & Ep. ad *Ant. Riccobonum* D. X. Kal. Quinctil. 1585. ibid. p. 225.

(2) Inter Epp. MSS. *Dionys. Lippi* in Bibl. *Magliab.* Cl. VIII. Cod. XII. Chartac. fol. in Ep. ad *Rodulphum Bardium* p. 44. „ Nonne *P. Victorius*, qui omnium literatorum nostris temporibus literatissimus habetur, satis tibi exemplo esse potest, quem nulli fere audiunt, nulli maximam eius doctrinam sequi videntur „ quique a Principe nostro omnium prudentissimo, doctorumque virorum amantissimo, in sinu, ut aiunt, atque in oculis gestatur. Vid. Ep. a *Franc. Victor.* editioni Epp. praemissam ad *Franc.* M. E. D.

(3) V. Ep. *Franc. Victor.* Editioni Epp. praemissam.

(4) Ita rem narrat *Franc. Vict.* l. c. Alla fine sul principio di Dicembre si fermò in casa affatto, per causa di un piè, che gli dava gran dolori, de' quali fu sensitivo, del quale pure quasi guarì, & i medici ne speravano bene, e trattavano di condurlo alla primavera, tanta era gagliarda la virtù vitale, che per il polso appariva, & l'animale, e l' intelletto svegliato. Ma egli, o per la Pasqua, che ne veniva, o perchè Iddio, il quale aveva sempre temuto, l' aiutassi, si volse la Domenica del dì 15. confessare, & avendolo fatto nel letto, pregato dal Confessore, che non si levassi, volse con molto stento a poco a poco uscir del letto, & penitente con grande attrizione volse colle ginocchia in terra fare orationi, & rimandato per il Sacerdote chiese di nuovo, & hebbe in quella positura l' as-

ſibi parceret, quum maximis doloribus angeretur; ſurrexit e lecto tamen, flexisque genibus, atque in caelum oculis intentis, divinum Numen implorans, ſacra dape refectus eſt. Hoc pacto, creſcente ſemper vi morbi, remediisque omnibus incaſſum adhibitis, vir doctiſſimus, & inſignis fato ceſſit, animamque efflavit A. MDLXXXV. XV. Kal. Ianuar. quum ſeptimum & octogeſimum annum ageret (1). Gravis iactura eius obitu nobiliſſimis in artibus facta eſt. Publicis ideo lacrymis ſua aetas luxit (2); patria vero, quacumque ratione potuit, funus ipſius honeſtavit, & quam moleſta ſibi optimi viri mors fuiſſet, quem anteactae vitae curſus, & omnigenae eruditionis ſupellex ubique locorum, & gentium ſatis commendaverant, palam fecit. Elatus eſt *Victorius* in Templo S. Spiritus, ubi gentilitio in tumulo poſitus, in pace quieſcit (3).

Eo

l' aſſoluzione, & eſſendo indebolito per una mala notte, che ebbe nel 16. giorno, la quale però non lo atterrò tanto, che non voleſſi tentare di mangiar levato il martedì mattina, nel qual moto patì aſſaiſſimo, e fu la notte ſeguente a 12. ore ſopraggiunto da un ardentiſſima febbre ,, & ripreſane una il mercoledì alle 24. ore che poco dopo lo meſſe in tranſito: ſi mantenne con maggior maraviglia de' medici inſino al 18. del giorno ſeguente nel qual punto ſpirò nell' anno dell' età ſua LXXXVII.

(1) *Iac. Thuanus* in Hiſtoria ſummis laudibus *Victorium* extulit, ubi de eius morte agit ſub hoc anno. Omnes ferme ſcriptores hallucinantur in tradendo anno mortis, & aetatis *P. Victorii*: immane tamen quantum peccet *Iulius Nigrus*, qui in Hiſt. Florent. Scriptor. *Victorii* vitam producit ad A. usque MDCXX. & ultra, ei orationes nonnullas adſcribens, quae a *P. Victorio* iuniore, *Alexandri* Senatoris fratre editae fuerunt, de quo Vid. *Salvinum* in Faſtis Conſular. Acad. Flor.

(2) *Dionyſ. Lippius* in Epp. MSS. in Bibl. *Magliab.* Cl. VIII. Cod. XII. p. 80. ita de *Victorii* morte, cum *Seb. Antinorio* conqueritur ,, Quantam iacturam Florentina iuventus ex *P. Victorii* tam repentino, tamque inopinato diſceſſu fecerit, tu ipſe, qui omnibus doctiſſimis eius lectionibus, literatisque ſermonibus interfuiſti, atque ex ipſis maximum fructum percepiſti, quique de hac re mecum ſaepius egiſti, & doluiſti, etiam optime cognoſcere potes &c.

(3) Ob magnificentiſſimae Eccleſiae ornamenta, inſigne aliquod monimentum aeternae *Victorii* memoriae ab heredibus adhuc non eſt poſitum.

Eo doctissimorum virorum, atque ingens nobilitatis concursus, honestandi funeris gratia, convenit, & e loco superiore *Leonardus Salviatus*, D. Stephani Eques, orationem de laudibus eiusdem disertissimam habuit (1). *Franc.* vero *Bocchius* duas orationes dissimili argumento, dissimilique stilo, eiusdem rei caussa, conscripsit, curavitque ut typis inpressae, ederentur (2).

LXXIV. *Franciscus* Magnus Etruriae Dux, nuntio adlato de *Victorii* obitu, aegre admodum illum tulit, declaravitque quanti hominem fecisset, omni genere liberalitatis usus cum *Victoria* Familia. Ceteri vero probi viri per universam Europam, qui aliquando doctrinam illius inbiberant, singularisque hominis probitatis specimen aliquod adceperant, publicam illam cladem deflerunt. Quum enim multiplici doctrina, magnoque ingenio uteretur, *Victorius*, inprimis religioni, ac pietati semper inserviit. Nullius suscipere inimicitias, neminem laedere, aut ulcisci, etsi quis iniuria sit lacessitus (3), unam esse ex omnium laudum genere ingenii gloriam existimavit. Excepit ille

 eru-

(1) Orazione funerale del Cav. *Lionardo Salviati* delle lodi di *Pier Vettori* Senatore, e Accademico Fiorentino recitata pubblicamente in Firenze per ordine della Fiorentina Accademia nella Chiesa di S. Spirito il dì XXVII. di Gennaio MD. LXXXV. nel Consolato di G. B. *Deti* dedicata alla Santità di N. S. Papa *Sisto V.* Firenze per *Filippo*, e *Iacopo Giunti* MDLXXXV. 4. Ex Ep. nuncupatoria ad *Franc. Panigarolam* adparet, *Sixtum V.* plurimi *Victorium* fecisse.

(2) Flor. per *Georg. Marescotum* 1585. 4. V. Elogior. Lib. I. p. 46.

(3) *Marcus Ant. Muretus* maximis iniuriis pluries *Victorium* adfecit. Eius tamen partes suscepit *Carolus Sigonius*. Vid. *Vict.* Epp. Lib. IV. p. 75. & Tom. I. Epp. ad *Vict.* p. 127. *Franc. Victor.* l. c. Volendo un Ser *Lodovico* da S. Gimignano, maestro rispondere a certe cose scritte contro alli scritti di *Piero*, egli ne lo distolse, perchè credeva, che si potessi credere, che fussi fatto per opera sua. V. Ep. ad *Franc. Campanam* Epp. Lib. I. p. 12.

eruditos homines semper, dummodo vita honestissima essent, Gallos potissimum, & Germanos, ceterosque Transalpinos homines, qui relictis laribus in Italiam concesserant (1), ut ipsum inviserent (2), hilari animo, tantaque comitate, & Florentiae, & in Villa sua Cassianense complectebatur, ut propriis relictis commodis, aliorum commoda intueretur (3). Et sane censebat ita fieri oportere: quicumque enim doctrinae studiis incumbimus, quasi quodam amoris vinculo coniuncti inter nos esse debemus, & putare honesta quadam societate teneri: fuit tanta animi benignitate praeditus, ut nemo dum peteret ab eo aliquid, abiret tristis. Quibus operam suam semel esset pollicitus, fidem in eo religiosissime servabat; ut saepe eruditorum, aut tenuium hominum caussa, ad viros principes iterum, & saepius adire non dubitaverit; quum id praecipue Christiani esse officii contenderet, id maxime hominum genus auxilio iuvare, quod maxime opis, & auxilio egeret (4). A Pontificibus, & a potentissimis Europae Regibus, summis adfectus honoribus, nunquam se extulit, quamvis cognitum illi esset, Etruriae Ducibus magnae fuisse gloriae,

(1) Epp. Lib. III. p. 71.

(2) Ex iis unus fuit *Th. Britannus*, ut videre est, ex Ep. MS. quam Fr. *Adames* Eremitanus *Victorio* Praeceptori suo dedit Patavii IV. Non. Sept. MDXLIX. *Ioannes* quoque Episcopus Noviodunensis Epp. ad *Vict.* Tom. I. p. 65. aliique quamplurimi, ut passim ex Epistolis patet.

(3) Lib. VI. p. 137. Ep. ad *Fulvium Ursinum* „ Ex meo viae Romanae propinquo rure, hoc capio commodi „ quod saepe, quum illic sum, ubi sane sum libenter, praesertim Septembri mense, ab eruditis aliquibus viris, qui illac praetereunt, salutor &c. Vid. & seq. Ep. ad Card. *Sirletum*.

(4) *Ambros. Nicander Victorium* exorat, ut in aliqua Academia docendi munus consequeretur Vid. T. I. Epp. p. 9. item *Albericus Longus* ibid. p. 15. *Antonius Angelius Barganeus* Epp. ined. p. 396. item *Marcus Gandulphus* Ep. MS. dat. Bonon. Eid. Nov. MDLXXII. *Iac. Laureus* Epp. ad *Vict.* T. I. p. 67. & alii, qui in Epp. passim occurrunt.

riae, quod hominem tam eximium, ac prope singularem in sinu foverent, eumque beneficiis auctum complecterentur (1). Ad ultimam usque senectutem legere, & commentari sine ullo potuit inpedimento (2), licet aliquando imbecilla valetudine fuerit usus (3). Quicumque in Graecis, vel Latinis scriptoribus eruendis, atque inlustrandis operam dabant, *Victorium*, veluti aliquod ex tripode oraculum adire consueverant (4).

LXXV. Hinc ea aetate praestantissimi viri *Victorii* laudes, & vincta, & soluta oratione summis laudibus extulerunt. Praeter enim eos, quorum testimoniis in *Victorii* Vita conscribenda usi sumus, innumerabiles ferme scriptores de eo honorifice meminerunt; quos inter honoris caussa nomino *Dionysium Lippium* Collensem (5), *Chunradum Publianum* a *Specks Win-*

(1) *Fr. Victor.* l. c. *Bocchius* l. c.

(2) *Fr. Victor.* „ Le fatiche sue nelli studi furono grandissime, perchè fino a duoi anni fa, che era nelli 85. si levò innanzi giorno molte hore „ per i gran freddi innanzi giorno non hebbe mai nello studio fuoco, levavasi senza lume, & andava in remotissime parti della casa ad accenderlo &c.

(3) V. Epp. L. VI. p. 137. Ep. ad *Bernardin. Brisegnum* Epp. ad German. Lib. I. p. 14. Ep. ad *Joachim. Camerarium*. Ibid. Ep. ad *Ioachim. Hanium* p. 49. ibid.

(4) Epp. Lib. VII. p. 165. „ Sciant omnes, me semper quicquid potuerim adminiculi omnibus, qui possent illustrare suis vigiliis optimos scriptores, praebuisse &c. „ Ac revera *Io. Sambucus Victorii* inplorat auxilium ad *Dioscoridis* Commentarios restituendos Ep. MS. Dat. Viennae MDLXX. item *Petrus Perna*, ut novam omnium *Aristot.* operum editionem adornaret Ep. MS. Dat. Basileae II. Martii MDLXIX. item *Marc. Ant. Antimachus*, quum *Demetrium Phalereum* de elocutione latinum facere moliretur. *Io. Gualandius* Vmbrosae Vallis Monachus *Victorium* patronum advocavit in eos, qui ei vitio vertebant, quod Tullianam Phrasim nimium scrupulosa cura aemularetur. *Paullus Spinula*, *Victorii* iudicio subiecit suam *Sallustii* versionem Etrusca lingua. Epp. T. I. p. 136.

(5) Inter eius Poemata Graeca, & Latina MSS. penes clariss. *Bened. Monetam* IC.

Winckell (1), *Ant. Gigantem* (2), *Bened. Varchium* (3), qui eum graecis, & latinis carminibus commendarunt. Praeterea recensendi sunt *Seb. Sanleolinus* (4), *Nic. Audebertus* (5), *Petrus Albinus* (6), *Augustinus Paganellius* (7), *Antonius Rencrius* (8), *Io. Math. Toscanus* (9), *Iulius Ronconius*, & *Io. Ludovic. Valmaranus* (10), *Octavius Boldonius* (11), *Io. Imperialius* (12), *Hadrianus Turnebus* [13], *Iac. Aug. Thuanus* (14), *Andreas Schottus* (15), *Iacobus Cuiacius* (16), *Conradus Rittershusius* (17), *Gaspar Scioppius* (18), *Th. Aldobrandinus* (19), *Raphael Colombanus* (20), *Arnoldus Milius* (21), *Ga-*

(1) Legitur in Ep. MS. ad *Victorium* data Eburi Moravior. X. Kal. Iul. MDLXXXI. quam suo loco proferemus.

(2) Epp. Lib. VI. p. 135.

(3) Inter Carmina V. illustr. Poet. Flor. apud *Iunctas* MDLXII. 8. ibi etiam legitur *Franc. Vinthae* Carmen de Arni adluvione ad *Pet. Victorium*.

(4) Cosmian. Action.

(5) Vna cum Ep. MS. Dat. Bonon. Eidib. Febr. MDLXXVIII.

(6) Poemate MS. in Bibl. *Vict.* Romae.

(7) Phaleucio MSS. cum Ep. Dat. ex Villa Marciana XII. Kal. Sept. MDLXIV.

(8) Epigrammate, ut constat ex Ep. MS. Dat. ex oppido Prato III. Kal. Sextil. 1573. Alia quoque carmina in idem argumentum exaravit V. Epp. T. I. p. 117.

(9) In Peplo Ital. Lib. IV. cap. 182.

(10) Vid *Io. Imperial.* in Museo Historic. & Physic. Ven. apud *Iunctas* MDCXL.

(11) Consulenda est Epigraphe p. 430. Romae MDCLXX. fol. eiusdem Extemporalium Rhetoric. ibid. MDCLXXIV. 4. Elog. in fronte libri. Item eiusdem Extemporal. Rhetoric. pars altera Romae MDCLXXVI. In Epigraph. extemporal. appendicula p. 18. seq.

(12) Loc. cit.

(13) Adversarior. L. XIX. p. 28.

(14) Ad A. MDLXXXV.

(15) Vitae comparatio *Arist.* & *Demosth.* Aug. Vindelic. MDCIII. p. 162. seq. in Tullianis Quaestion. Lib. I. p. 81. & alibi.

(16) Observat. iuris Lib. I. C. 15.

(17) In notis ad *Malch.* de Vit. *Pythag.* Ambergae MDCXL. 8.

(18) In suspect. Lection. Lib. V. Ep. 17. ad *Io. Casel.*

(19) In notis ad *Diog. Laert.* p. 98.

(20) In not. ad *Longum* p. 94.

(21) In Ep. nuncupat. ad *Marcum Velserum*, *Sepulvedae* operibus praemissa.

Gaspar Barthius (1), *Henricus Stephanus* (2), *Iustus Lipsius* (3), *Franc. Robortellus* (4), *Antonius Riccobonus* (5), *Hier. Mercurialis* (6), *Michael Poccianttus* (7), *Euphrosynus Lapinus* (8), *Leonard. Salviatus* (9), *Robertus Titius* (10), *Horatius Lombardellius* (11), *Iac. Gaddius* (12), *Ant. Possevinus* (13), *Io. Bapt. Ricciolius* (14), *Franc. Sansovinus* (15), *Nic. Caffarus* (16), *Io. Cinellius* (17), *Th. Lansius* (18), *Marius Crescimbenius* (19), *Fr. Mich.* a S. Ioseph (20), *Daniel Georg. Morhosius* (21), *Iac. Bruckerus* (22), *Mannius* (23), *Salvinus Salvinius* (24), *Iosepb Blanchinius* (25), *Iulius Nigrius* (26), *Io. Lamius* (27). Non

(1) In *Rutil.* p. 186.

(2) In Castigation. ad *Maxim. Tyrium* p. 358.

(3) Variar. Lect. Lib. II. p. 25.

(4) De arte Critica in Thes. Critic. *Gruteri* T. I.

(5) In Lib. I. Rhetoric. *Arist.* pag. 2.

(6) Var. Lect. Lib. III. C. XII.

(7) In Catal. Script. Flor.

(8) In Vita *Franc.* a *Diacceto*

(9) In Ep. nuncupatoria ad *Franc. Panigarolam*, praemissa orationi, quam habuit de *P. Victorii* laudibus, qua ab eo petit, ut ipsam suis verbis *Sixto V.* P. M. offerat.

(10) Locor. Controv. Lib. VI. Cap. XVIII. Lib. X. Cap. XV. p. 266. Flor. apud *Sermartellum* MDLXXXIII. 4. & in adsertion. suor. Locor. controv. Cap. V.

(11) In opusculo inscripto *Fonti Toscani*.

(12) Elogium ei luculentum conscripsit Elogior. p. 224.

(13) In Elencho commentator. Ethicae, & Rhetoricae *Arist.*

(14) Chronolog. Reform. T. III. in cat. viror. illustr.

(15) In Chronolog. univers. ad A. MDXXXIII.

(16) Sub die VIII. Decemb. MDLXXXVI.

(17) Biblioteca Vol. Scansia VI.

(18) In consultat. de Principatu inter provinc. Europae, in orat. pro Italia inter viros doctissimos *Victorium* enumerat.

(19) Istoria della Volgar Poesia Lib. XI.

(20) In Bibliogr. critic. sacra, & proph. Matriti MDCCXLI.

(21) In Polihistore T. I. Lib. V. C. 1. §. 5.

(22) Histor. Critic. Phil. T. IV. Period. III. P. I. Lib. II. Cap. III. §. XVI.

(23) In serie Florentinor. Senat. p. 110. Flor. 1722.

(24) In Fastis Consular. ubi de *Bernardo Segnio* loquitur.

(25) In Praefatione opusculo *Victorii* praemissa, cui titulus *della Coltivazione degli Olivi* Flor. recusa A. MDCCXVIII. 8.

(26) Istoria delli Scrittori Fiorentini.

(27) In Vita *Richardi*.

Non defuere tamen qui iniuriis *Victorium* inpeterent, ut *Marcus Ant. Muretus* (1), *Iosephus Scaliger* (2), *Ludovicus Balzacius* (3), & *Iacobus Tommasius* (4).

LXXVI. Rebus autem gestis ab eo, dum vixit, enarratis, nunc quae monimenta ingenii reliquerit, fructusque otii ipsius indicabo.

SIGILLVM ARG. P. VICTORII



ROMAE IN MVSEO VICTORIO

IN-

(1) Vid. supra p. 83. not. 3.

(2) In *Scaligeriana* prima *Victorium* laudat, in altera vero ipsum vocat *vulgare ingenium*.

(3) Lib. III. Ep. 20. e 21. ad *Chapellain*. Dat. 1738.

(4) De Plagio N. 3.

INDEX OPERVM P. VICTORII.

I. *MArci Tullii Ciceronis opera, omnium quae hactenus excusa sunt castigatissima, nunc primum in lucem edita: Venetiis in officina Lucae Antonii Iunctae MDXXXVII. fol.* editio rarissima. In hoc volumine, quod *Nicolao Ardinghello* inscribitur, *Rhetorica* continentur, & constat pagg. 366. Adcedit Index omnium, qui hactenus excusi sunt, locupletissimus, & castigatiss. eorum, quae digna notatu visa sunt.

T. II. *M. T. Ciceronis Orationes habet ab Andrea Naugerio Patritio Veneto, summo labore, atque industria in Hispaniensi, Gallicaque legatione, excussis permultis Bibliothecis, & emendatiores multo factas, & in suam integritatem ad exemplar Codicum antiquorum longe copiosius restitutas ibid. MDXXXIV. fol. pagg.* 840. *Leoni* X. Pont. Max. dicata est eiusmodi editio ab *Andrea Navagerio:* sequuntur eiusdem Epistolae duae, quarum una *Petro Bembo*, altera *Iacobo Sadoleto* inscribitur.

T. III. *M. T. Ciceronis Epistolarum libros continet ex pervetustis exemplaribus accuratissime post omnes, quae hactenus editae sunt excusiones recognitarum ibid. MDXXXVI. pagg.* 554. Hunc quoque *Nicolao Ardinghello* suo dedicavit *Victorius*. In calce voluminis adpositae sunt,, sex Epistolae ad *Brutum*, nunc primum a Germanis inventae, quae num *M. Tullii Ciceronis* sint, legentium iudicio videndum relinquitur.

T. IV. *Complectitur opera Philosophica nuper ad fidem vetustissimorum exemplarium diligentiss. recognita.*

gnita . *Ibid. MDXXXVI. fol.* ad *Nic. Ardinghellum* suum p. 550. adcedunt explicationes suarum in *Ciceronem* castigationum ibid. MDXXXVI. ad *Bartholomaeum Cavalcantium* p. 79. Editio nitidissima, & castigatissima ad fidem MSS. Cod. *Mediceorum* praesertim recognita. Ex hac reliquae omnes *Ciceronis* editiones profluxerunt, unde elegantissimus *Graevius* ait in Praef. in easdem Epistolas, quod uni *Victorio* plus *Cicero* debet, quam reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus studiumque posuerunt. Vid. & *Ian. Gruterum* in notis ad Lib. IX. ad familiar. Ep. XVI. *Fabric.* Biblioth. Lat. Lib. I. Cap. VIII. p. 152. seqq.

II. *M. T. Ciceronis Opera. Ex Petri Victorii codicibus maxima ex parte descripta, viri docti, & in recensendis authoris huius scriptis cauti, & perdiligentis: quem nos industria quanta potuimus, consequuti, quasdam Orationes redintegratas, tres libros de Legibus, multo quam antea meliores, & reliquias de Commentariis, qui de Republica inscripti erant, magno labore collectas, undique, descriptasque libris, vobis exhibemus.*

Accedunt *Eiusdem Victorii Explicationes suarum in Ciceronem Castigationum*, &

Index rerum, & verborum. Parisiis ex officina Roberti Stephani MDXXXIX Tom. II. in fol. maiori. Editio maximi pretii, & rarissima; *Victorii* deinde castigationes sunt recusae in editione *Ciceronis* Lugdunensi, cum hoc titulo »

III. *Petri Victorii Explicationes suarum in Ciceronem castigationum apud Seb. Gryphium Lugd. MDXL.* 8. p. 553. cum Ep. ad *Bartholomaeum Cavalcantium* suum, & separatim ibidem A. MDLII. 8. p. 701. In hac editione adcesserunt posteriores *Victorii* in Epistolas ad diversos castigationes; in hisque pag. 676.

pur-

purgat se a plagii crimine, quod ei *Paullus Manutius* inpegerat tum alibi, cum ad Lib. III. Ep. 8.

IV. *Posteriores Petri Victorii Castigationes in Epistolas, quas vocant familiares: apud Seb. Gryphium Lugduni MDXLI.* in 8. pagg. 132. ad *Franciscum Campanum* literis datis VI. Eid. Sept. MDXL.

V. *Marci Catonis, ac M. Teren. Varronis de re Rustica libri per Petrum Victorium ad veterum exemplarium fidem, suae integritati restituti. Lugd. apud Seb. Gryphium MDXLI. & MDXLIX.* Praeest Ep. nuncupatoria ad *Marcellum Cervinium* Dat. XII. Kal. Quinctil. MDXLI. Tom. III. 8. quorum primus constat paginis 226. secundus pag. 491. tertius pag. 184. Sequuntur deinde enarrationes vocum priscarum in libris de re Rustica per *Georgium Alexandrinum* &c. Parisiis recusi sunt cum novis *Victorii* additamentis cum hoc titulo „

VI. *Libri de Re Rustica &c. per Petrum Victorium ad veterum exemplarium fidem, suae integritati restituti. Paris. ex officina Rob. Stephani, typographi Regii. MDXLIII.* in 8. Tomi III. In fine primi Tomi exstant.

VII. *Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum. Ib. ex Officina Rob. Stephani typographi Regii MDXLIII.* p. 140.

VIII. ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΗΛΕΚΤΡΑ. *Euripidis Electra nunc primum in lucem edita Romae MDXLV.* 8. p. 30. literis dat. ad *Nic. Ardinghellam* XXIX. Febr.

IX. *Ethic. Arist.* ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΗΘΙΚΩΝ ΝΙΚΟΜΑΧΕΙΩΝ. ΒΙΒΛΙΑ ΔΕΚΑ. ARISTOTELIS *De moribus ad Nicomachum filium libri decem Florentiae apud Iunctas MDXLVII.* 4. p. 69. 4. iterum recusa ab *Iunctis* fuit A. MDLX. 4.

X. *Petri Victorii Commentarii in tres Libros Aristotelis de arte dicendi. Positis ante singulas declara-*

tiones Graecis verbis Auctoris. Florentiae in Officina Bernardi Iunctae MDXLVIII. In fol. pag. 637. Inscriptum est opus *Cosmo Medici Duci Florentinorum*, literis datis *Florentiae Idib. Sept. MDXLVII.* Sequuntur, Praefatio ad studiosos, Capita ante operis declarationem animadvertenda, ac triplex Index: alter veterum auctorum loca ab *Aristotele* citata, alter singula totius operis argumenta, tertius Graecas voces exhibet. Prodiit rursus ex *Iunctarum* typogr. A. MDLXXIII. fol.

XI. Πορφυρίου φιλοσόφου, περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων βιβλία τέσσαρα. τῦ αὐτοῦ τῶν πρὸς τὰ νοητὰ ἀφορμῶν. Μιχαὴλ ἐφεσίου. σχόλια εἰς τέσσαρα τῦ Αριστοτέλους περὶ ζώων μορίων. *Porphyrii Philosophi de non necandis ad epulandum animantibus Libri IIII. Eiusdem selectae brevesque sententiae, ducentes ad intelligentiam, quae mente noscuntur. Michaelis Ephesii Scholia in IIII. Libros Aristotelis de partibus Animantium. E Medicea Bibliotheca Florentiae* MDXLVIII. In fine *Impressum Florentiae. In Officina Bernardi Iunctae Anno Domini MDXLVIII.* In fol. pag. 119. Accedunt, *Victorii Epistola studiosis Graecarum artium, Graeco sermone scriptarum*, aliquot eiusdem in *Porphyrium* adnotationes, ac Praefatio. In Libri fronte exhibetur Ianua patens, cum pluteo libris referto. In epystilio legitur Inscriptio PVBLICAE VTILITATI. quod ipsum Laurentianae Bibliothecae vestibulum innuere videtur.

XII. *Petri Victorii Commentarii longe doctissimi in tres Libros Aristotelis de arte dicendi, nunc primum in Germania editi, cum locuplete rerum & verborum in iisdem memorabilium Indice. Basileae ex Officina Ioannis Oporini, anno salutis humanae* MDXLIX. *Mense Martio* in fol. pagg. 436. absque Operis dedicatione *Cosmo Medici Duci Florentinorum*, Praefatione, & rerum Indice ad finem adiecto. Prodiit rursus Flo-

rentiae apud *Iunctas* MDLXXIX. fol. *Graevius* in libro, cui titulus *Cohors Musarum* p. 337. ubi agit de *Aristotelis* Rhetorice, de hoc opere honorifice meminit.

XIII. *Petri Victorii Oratio habita ad Iulium III. initio Pontificatus ipsius, cum Ducis sui nomine, una cum aliis quinque nobilissimis viris Orator ad eum missus est. Florentiae apud Laurentium Torrentinum MDL.* in 4. pag. 17. Exstat etiam in *Victorii* eiusdem Epistolarum, & Orationum Libro recusa pag. 35.

XIV. ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ἅπαντα. Ex Bibliotheca *Medicea* p. 347. fol. *Clementis Alexandrini opera omnia graece Florentiae cudebat Laur. Torrentinus A. MDL.* fol. in fine legitur „ Lectori dabimus propediem praestantissi„ mi scriptoris huius opera conversa in linguam lati„ nam a viris doctiss. qui summo studio laboreque tibi „ navarunt operam, ut plenius, ac uberius huiusmodi „ thesauri fructum percipere possis. Vale. Et revera latina versio prodiit ibid. A. MDLI.

XV. *Platonis Dialogus de Amicitia Florentiae apud Iunctas MDLI.* 8. Ep. dat. Civibus suis graecarum artium studiosis Kal. Febr.

XVI. Ξενοφῶντος. ἀπομνημονευμάτων πρῶτον. *Florentiae MDLI.* In fine *Florentiae apud Iunctas MDLI.* in 8. pag. 208. Data est Ep. nuncupatoria *Civibus suis Graecarum artium studiosis. Florentia IV. Non. Novembr. MDLI.*

XVII. Δημητριου Φαληρέως περὶ ἑρμηνείας. *Demetrii Phalerei de elocutione. Florentiae apud Iunctas MDLII.* in 8. p. 96. *ad Alexandrum Farnesium S. R. E. Cardinalem Vicecancellarium. Florentia Idib. April. MDLII.* Praemittitur adcurata eiusdem *Victorii* disquisitio de Operis huiusce Auctore. μητρίου

XVIII. Api-

XVIII. Αριϛοτέλους πολιτικῶν βιβλία ὀκτὼ. *Aristotelis de optimo statu reip. Libri octo. Florentiae apud Iunctas MDLII.* in 4. pag. 204. *ad Ioannem Casam Archiepiscopum Beneventanum. Florentia Idib. Quinct. MDLII.*

XIX. *Petri Victorii Variarum Lectionum Libri* XXV. *Florentiae. Excudebat Laurentius Torrentinus MDLIII.* in fol. pag. 410. *ad Alexandrum Farnesium S. R. E. Cardinalem Vicecancellarium* litteris dat. *Florentiae VII. K. Sept. MDLIII.* Accedit Index Capitum, item alius insigniora loca auctorum Graecorum & Latinorum exhibens, tum tertius rerum ac vocum memorab.

XX. *Digestorum seu Pandectarum Libri L. ex Florentinis Pandectis repraesentati. Florent. in Officina Laur. Torrentini Ducalis typographi MDLIII.* T. II. fol. Ex Ep. *Franc. Taurelli* ad *Cosmum* I. Florentinorum Ducem haec habentur „ Graece vero tradita, quae frequentia sunt, ut quam emendatissima prodirent, vir ut scis omni doctrina praeditus gloriaeque tuae inprimis studiosus *Petrus Victorius* operam dedit.

XXI. ΑΙΣΧΥΛΟΥ ΤΡΑΓΩΔΙΑΙ. Ζ. προμηθεὺς δεσμώτης, επ̃ὰ ἐπὶ Θήβαις, πέρσαι, Αγαμέμνων, Χοηφόροι, Εὐμενίδες, Ικέτιδες. Σχόλια εἰς τὰς αὐτὰς Τραγωδίας. *Aeschyli Tragoediae. VII. quae cum omnes multo quam antea castigatiores eduntur, tum vero una, quae mutila, & decurtata prius erat, integra nunc profertur. Scholia in easdem, plurimis in locis locupletata, & in paene infinitis emendata P. Victorii cura, & diligentia. Parisiis. Ex Officina Henrici Stephani MDLVII.* 4. pag. 395. Denuo recusae sunt Londini curante *Th. Stanleio* MDCLXIV. fol. Vid. Ep. ad *Ioachim. Camerarium* Lib. I. Epp. ad German. Ep. I.

XXII. *M. T. Ciceronis Epistolae ad familiares Flor. apud Iunctas MDLVIII.* 8. Praeest Lectori monitum

dat.

dat. Flor. Kal. Sextil. ut videre est Epp. Lib. III. p. 69. Hanc tamen editionem nondum vidi.

XXIII. *Petri Victorii Commentarii in primum Librum Aristotelis de Arte Poetarum ; positis ante singulas declarationes , Graecis vocibus auctoris ; iisdemque ad verbum Latine expressis . Accessit rerum , & verborum memorabilium Index locupletissimus Florentiae in Officina Iunctarum Bernardi filiorum MDLX.* in fol. pag. 308. *ad Cosmum Medicem Ducem Florentinorum , ac Senensium .* Praemittitur Praefatio ad Lectorem , ac duplex Index . Prodierunt iterum ibidem ex Typographio *Iunctarum* anno MDLXXIII.

XXIV. *Petri Victorii Commentarii in Librum Demetrii Phalerei de Elocutione, positis ante singulas declarationes, Graecis vocibus auctoris : iisdemque ad verbum latine expressis. Additus est rerum , & verborum memorabilium Index copiosus . Florentiae in Officina Iunctarum Bernardi F. MDLXII.* in fol. p. 268. *ad Alexandrum Farnesium S. R. E. Cardinalem Vicecancellarium* litteris dat. Florentia VI. Id. Sext. MDLXII. Accedit Praefatio ad Lectorem, & Index superius . Rursus ibidem prodierunt apud *Philipp. Iunctam* MDXCIV.

XXV. *Oratio funebris de Laudibus Ioannis Medicis S. R. E. Cardinalis, habita VII. K. Dec. MDLXII. a Petro Victorio in aede Divi Laurentii Florentiae. Florentiae apud L. Torrentinum MDLXII.* in 4. p. 13. una cum *Victorii* Ep. *Paulo Iordano Ursino* dat. Florentiae IV. Kal. Dec. MDLXII. Exstat quoque in Concilio Tridentino editionis Lovaniensis p. 477. & in Conciliis *Labbaei* Tom. XIV. col. 1644.

XXVI. *Laudatio Eleonorae Cosmi Medicis, Floren. ac Senen. Ducis, uxoris , quae habita est IV. Kal. Ian. Florentiae a Petro Victorio , in aede Divi Laurentii. Florentiae apud Laurentium Torrentinum MDLXII.* in 4. p. 12.

pag. 12. una cum *Victorii* Ep. *Cosmo Medici Duci Florentinorum, ac Senensium. Florentiae IV. Non. Ianuarii*. Hanc Orationem Italice vertit *Nicolaus Minius*. *In Fiorenza appresso i Figliuoli di Lorenzo Torrentino MDLXIII.* in 4. pag. 15. una cum Etrusco Epigrammate *Alexandri Cosmi de Pazzis*, & Ep. nuncupatoria *Nicolai Minii* „ *Al molto Mag. & Onorato M. Vincenzo Malpigli Gentiluomo Lucchese* dat. *di Firenze il dì XI. di Gennaio MDLXII.*

XXVII. *Io. Casae Latina monimenta, quorum partim versibus, partim soluta oratione scripta sunt. Florent. ex officina Iunctar. MDLXIV.* 4. p. 206. Inter *Marii Columnae* carmina, *Bargaei* Carminibus adiecta Flor. MDLXVIII. 8. p. 446. *Marii* eiusdem, ac *P. Victorii* duo leguntur Phaleucia in huius editionis laudem.

XXVIII. Ἀριςοτέλους περὶ ποιητικῆς. *Aristotelis de arte poetica. Ad exemplar Libri a Petro Victorio correcti. Florentiae apud heredes Bern. Iunctae MDLXIV.* in 8. p. 63: Graece tantum, & latine separatim Florentiae apud *Iunctas* MDCXVII. 8. p. 81. Praemittitur Ep. *Io. Bapt. Strozzae* ad *Io. Bapt. Strozzam* nepotem suum.

XXIX. *P. Terentii Comoediae vetustissimis Libris, & versuum ratione a Gabriele Faerno emendatae. Florentiae apud Iunctas MDLXV.* 8. editio nitida, & accuratissima, curante *P. Victorio*, ac *D. Carolo Borromaeo* Card. dicata. Recusa fuit Heidelbergae apud *Commelini* A. MDLXXXVII. 8. Exstat in Bibl. *Victoria* Romae.

XXX. *Petri Victorii Liber de Laudibus Ioannae Austriacae, natae Reginae Vngariae, & Boemiae. Florentiae in Officina Iunctarum Bernardi FF. MDLXVI.* in 4. pag. 28: ad *Franc. Medicem Florentin. ac Senens. Principem* litt. dat. *Flor. XIV. Kal. Maias MDLXVI.*

XXXI. Ιππάρχου Βιθύνου τῶν Αράτου καὶ Εὐδόξου Φαινομένων ἐξηγήσεων βιβλία γ'. Τοῦ αὐτοῦ ἀςερισμοί.

Αχιλ-

Ἀχιλλέως Στατίου προλεγόμενα εἰς τὰ Ἀράτου φαινόμενα. Ἀράτου βίος καὶ σχόλια παλαιῶν τινῶν εἰς τὸ αὐτοῦ ποίημα. *Hipparchi Bythini in Arati & Eudoxi Phaenomena Libri III. Eiusdem liber Asterismorum. Achillis Statii in Arati Phaenomena Arati vita, & fragmenta aliorum veterum in eius Poema. Florentiae, in Officina Iunctarum Bernardi Filiorum MDLXVII.* in fol. pag. 123. *ad Cosmum Medicem Ducem Florentinorum, ac Senensium*. Sequitur Praefatio ad Lectorem.

XXXII. *Petri Victorii Variarum Lectionum XIII. novi Libri. Florentiae excudebant filii Laurentii Torrentini, & Carolus Pettinarius ipsorum socius MDLXVIII.* in 4. pagg. 254 *ad Ferdinandum Medicem S. R. E. Cardinalem* litteris dat. *Florentia XIV. Kal. Ian. MDLXVIII.* Sequitur Index rerum, quae in singulorum Librorum capitibus continentur, tum alius rerum memorabilium, ac denique tertius Scriptorum Graecorum, & Latinorum. Excusi sunt hi libri iterum Florentiae apud *Iunctas* Anno MDLXIX. in 4.

XXXIII. *Trattato di Piero Vettori delle Lodi, e della Coltivazione degli Ulivi. In Firenze appresso i Giunti MDLXIX. All' Illustrissimo & Eccellentiss. Signore il Signor Duca di Firenze & di Siena* in 4. p. 89.

Rursus ibidem ex typographio *Iunctarum* annis MDLXXIV. MDCXXI. MDCXXII. 4. ac denique An. MDCCXVIII. typis *Iosephi Mannii* 4. curante *Iosepho Blanchinio* in lucem prodiit.

XXXIV. *M. T. Ciceronis Epistolae ad Atticum, ad M. Brutum, ad Q. Fratrem e Bibliotheca P. Victorii Florent. apud Iunctas MDLXXI.* 8. *Franc.* M. E. Principi nuncupata est haec rarissima editio, quae exstat in Museo *Victorio* Romae.

XXXV. *M. Terentii Varronis Opera quae supersunt. In Lib. de Ling. Lat. a Iosepho Scaligero recognita, &*

appendice aucta. *In Libros de Re Rust. Notae eiusdem Ios. Scal. non antea editae. His adiuncti fuerunt Adr. Turn. Comment. in Lib. de Lingua Latina: cum Emendationibus Ant. Augustini. Item P. Victorii Castigationes in Lib. de Re Rustica. Parisiis Anno MDLXXIII. excudebat Henr. Stephanus* in 8.

XXXVI. *Oratio Petri Victorii habita in funere Cosmi Medicis Magni Ducis Etruriae in aede Divi Laurentii XVI. Kal. Iun. MDLXXIV. Cum privilegio. Florentiae ex Officina Bartolomaei Sermartelli* in 4. p. 40. Iscripta est Oratio *Illustrissimo atque Excellentissimo Principi Ernesto Bavario. Florentiae Prid. Non. Iun.* MDLXXIV. Ipsam Italice vertit *Franc. Bocchius. In Fiorenza appr. Giorg Marescotti* MDLXXIV. in 4. p. 44.

XXXVII. *C. Sallustii Crispi Coniuratio Catilinae, & Bellum Iugurthinum. E Bibliotheca Medicea. Florentiae apud Iunctas MDLXXVI.* in 8. p. 178. Ep. nuncupatoriae hic est titulus „ *Petrus Victorius Hieronymo Guicciardinio Sal.* Dat. *Florentia Kal. Sept.* MDLXXVI.

XXXVIII. *Oratio Petri Victorii in Maximilianum II. Caesarem mortuum; habita Florentiae in Aede D. Laurentii, prid. Id. Novem. MDLXXVI. Florentiae ex Officina Iunctarum.* in 4. pag. 26. Inscripta est *Ernesto, Archiduci Austriae* litteris dat. *Florentia Kal. Decembr. MDLXXVI.* Hanc *Petrus Deius* Italice redditam sequenti titulo in lucem edidit „ *Orazione di M. Piero Vettori in Lode di Massimiliano II. Imperadore, morto. Recitata nella Chiesa di S. Lorenzo il dì XII. di Novembre MDLXXVI. tradotta da Piero Dei in lingua Fiorentina. In Firenze appresso i Giunti* in 4. pag. 20.

XXXIX. *Petri Victorii Commentarii in VIII. Libros Aristotelis de optimo statu civitatis. Positis ante singulas declarationes Graecis verbis auctoris: iisdemque*

ad verbum latine expressis. Accessit rerum, & verborum memorabilium Index plenissimus. Florentiae apud Iunctas MDLXXVI. in fol. pag. 698. Inscripti sunt *Francisco Medici Magno Etruriae Duci*. Adcedit Praefatio ad Lectorem, Index praedictus, tum alius Graecorum verborum, tertius tandem auctorum, quorum testimoniis utitur.

XL. *P. Victorii Epistolarum ad Germanos Missarum Lib. III. nunc primum editi ab Ioanne Caselio cum privilegio Caesareo ad annos VI. Rostochii excudebat Iacobus Lucius A. MDLXXVII.* 8. p. 127. Haec autem editio rarissima *Friderico* March. Brandemburgensi nuncupatur, ac liberalitate *Franc.* Equitis *Marmii Victoriae* Bibliothecae adaucta est. Denuo eiusmodi *Victorii* Epistolae recusae sunt in libro inscripto ,, *Opus Epistolicum exhibens Ioannis Caselii Epistolas ad Principes, Nobiles, Viros celebres, Propinquos, Cives, ac familiares &c. Francofurti Ann.* MDLXXXII. 8. Ibid. p. 266. *Io. Caselii Epistolarum Liber. V. Epistolae ad Petrum Victorium nobilem Florentinum, & huius ad illum*. P. 166. tres *P. Victorii* leguntur Epistolae ad *Ioachim. Frideric.* March. Brandemburgensem. Heic *Caselius* Praeceptoris sui elogium addidit, quod quum nimis propere conscripsisset, menda aliquot inrepserunt, unde in illud observationes quasdam *Franc. Victorius* edidit, easque cum *Caselio* amice communicavit (1).

n 2 XLI. Pe-

(1) MSS. in Bibliotheca *Victoria* Romae. Ante *Victorii* Elog. hoc *Caselii* monitum legitur ,,

Benevolo Lectori. Laudationem *P. Victorii* longe optime de bonis literis ad omnem posteritatem meriti, propediem dabimus. Vale.

Io. Caselius.

An id revera *Caselius* praestiterit, mihi adhuc compertum non est. Haec autem, quoad sciam, unica editio, quum ad me curante humanissimo equite *Franc. Victorio* perferretur, malo fato deperdita est.

XLI. *Petri Victorii Commentarii in tres Libros Aristotelis de arte dicendi. Positis ante singulas declarationes, valde studio & nova cura ipsius auctas, Graecis verbis auctoris, iisque fideliter Latine expressis. Cum vetere exquisito Indice, cui multa addita sunt, modo animadversa. Florentiae ex Officina Iunctarum. An. MDLXXIX.* in fol. pag. 756. cum Ep. *Francisco Medici Magno Duci Etruriae* dat. *Florentia XI. Kal. Sept.* MDLXXIX. aliisque, ut in Editione A. MDXLVII. supra adlata.

XLII. ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΣ Ισαῖος καὶ Δείναρχος *Vitae Isaei & Dynarchi a Dyonisio Halicarnasseo scriptae, quae nunc primum studio, ac diligentia P. Victorii prodeunt ex vetustissima, & optima Medicea Bibliotheca. Lugduni apud Io. Tornaesium typographum Regium* MDLXXXI. 4. exstat in Biblioth. *Victor.* Romae.

XLIII. *Petri Victorii Variarum Lectionum Libri XXXVIII. ad Alexandrum Farnesium S. R. E. Cardinalem Libri XXV. ad Ferdinandum Medicem S. R. E. Cardinalem Libri XIII. Quorum Librorum veteribus editionibus addita sunt quaedam, pauca variata. Florentiae apud Iunctas* MDLXXXII. in fol. pag 456. absque nuncupatoriis literis dat. Florentia VII. Kal. Septemb. MDLIII. ac duobus elenchis, altero rerum singulis librorum capitibus contentarum, scriptorum altero, cum Graecorum, tum Latinorum.

XLIV. *Petri Victorii Commentarii in X. Libros Aristotelis de Moribus ad Nicomachum. Positis ante singulas declarationes Graecis verbis auctoris: iisdemque ad verbum latine expressis. Accessit rerum, & verborum memorabilium Index plenissimus. Florentiae ex Officina Iunctarum MDLXXXIV.* in fol. pag. 616. absque Operis Dedicatione. *Serenissimo Francisco Mariae*

Du-

Duci Urbinatium, Dat. *Florentiae VIII. Kal. Octobr.* MDLXXXIV. Praefatione ad Lectorem, ac Indice memorato ad finem adiecto.

XLV. *Petri Victorii Epistolarum Libri X. Orationes XIV. Et Liber de Laudibus Ioannae Austriacae. Florentiae apud Iunctas* MDLXXXVI. in fol. pag. 226. Epistolae: Orationes vero &c. pag. 72. absque Ep. nuncupatoria *Serenissimo Francisco Medici Magno Etruriae Duci*, Dat. *Florentiae XVI. Kal. Mai. MDLXXXVI.* & Indice eorum, ad quos missae sunt. Heic egregie delineata, & aeri exculpta *Victorii* effigies cernitur cum Epigraphe „ *Petrus Victorius aet. suae an. ag. LXXXVII.* & infra legitur „ *Quis pingere laudes.*

XLVI. *Petri Victorii Liber de maxima dignitate Cosmi Medicis, Ducis Reip. Florentinorum, ac Senensium, qua demonstratur ipsum vincere in hoc certamine honoris aemulum ipsius Alphonsum Estensem Ducem Ferrariensium.* In fine legitur „ *Ego Petrus Victorius, Patricius Florentinus, & Senatorii Ordinis, Auratae quoque militiae Eques: Comes item Palatinus, manu propria subscripsi, & obsignavi.* pag. 25.

XLVII. *P. V.* Carmina exstant inter Carmina ill. Poetar. Italor. Flor. MDCCXIX. Tom. X. p. 495. & inter *Marii Columnae*, Poemata *Bargaei* carminibus adiecta Flor. apud *Iunctas* MDLXVIII. 8. p. 446.

XLVIII. Epistolae duae ad *Io. Casam* inter Epp. Clarorum Viror. ab *Io. Michael Bruto* conlectas P. 1. 19.

XLXIX. Ep. ad *Reginaldum Polum* ibid. p. 239. & in Patavina Carminum *Flaminii* editione MDCCXXVII. p. 309. in qua adcedit etiam *Barptolemaei Ricci* Ep. ad *Victor.* de *Flaminii* morte.

L. *Io. Casae* Carmen, & Epistolae ad *Victor.* itemque eiusdem *Victorii* responsa leguntur Tom. IV. operum *Casae* edition. Venetae MDCCXXVII.

P. VI-

P. VICTORII OPERA MSS.

LI. *Praefationes variae in Ciceronem, Demosthenem, Aristotelem, & Virgilii Lib. IV. Aeneid.*

LII. *Argumenta in Euripidis Tragoedias.*

LIII. *Euripidis Phaenissae cum notis MSS. P. V. Euripidis* ΙΩΝ

LIV. *Argumenta, seu Praefationes in Sophoclis Tragoedias.*

LV. *Commentaria in Ciceronem de Oratore, in Ciceronis Orationes.*

LVI. *In Demosthenis Olynthiacas, & Philippicas Orationes.*

LVII. *In Horatium, & Virgilium.*

LVIII. *Commentaria in Plutarchi Opusculum „ de his, qui sero a Numine puniuntur, & contra Epicurum, ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri placita.*

LIX. *Plutarchi opuscula LXXXII. Ven. in aedibus Aldi mense Martio MDIX. fol. &*

LX. *Eiusdem vitae illustrium viror. ibid. mense Augusto MDXIX. cum notis MSS. & observationib. Pet. Victorii.*

LXI. *De bello suscipiendo contra Turcas ad Pium V. Pont. Max.* Exstat etiam in Bibliotheca *Magliab.*

LXII. *Orazione fatta alla militare Ordinanza Fiorentina l' An. MDXXIX.*

LXIII. *Viaggio di Annibale per l' Italia.*

LXIV. *Parole di Lingua Toscana raccolte dal Boccaccio, Dante, Petrarca, Aldobrando, Bembo ec.*

LXV. *De variis speciebus cantuum Chori a Tragicis adhibitis in fabula Observationes.*

LXVI. *Canti di Dante confrontati con Euripide, Virgilio ec.*

LXVII. *Se-*

LXVII. *Selecta ex variis Auctoribus Graecis T. II.*

LXVIII. *Selecta ex variis Auctoribus Latinis T. II.*

LXIX. *Poesie varie di P. V. Latine, e Toscane.*

LXX. *Rime, e Prose di Monsig. della Casa. Ven. per Niccolò Bevilacqua MDLVIII cum not. MSS. P. V.*

LXXI. *Scholia in Homerum Vid. Epp. ad Vict. T. I. p. 134. & Ep. Io. Sambuci ad Victor. Epp. ined. p. 201.*

Exscripserat quoque *Victorius* quae sequuntur Opuscula, ut ea typis in vulgus proderet.

LXXII. *Dionysii Halicarnassei Oratio de examine sermonis.*

LXXIII. *Michaelis Pselli de Pluvia, Fulgure, & Tonitru.*

LXXIV. *Rhetorii Expositio XII. Signorum Zodiaci.*

LXXV. *Leonardi Arretini de Repub. Florentinor. ad Nic. Card. Graece „*

LXXVI. Latinae Virorum Claror. Epistolae ad *P. Vict.* Tom. III. fol.

LXXVII. Epistolae Italicae Tom. XV. fol. Harum nonnullae excusae sunt in libro inscripto „ *Prose Fiorentine ec.*

LXXVIII. Ep. ad *Franc. Medicem* M. E. Principem „ Inc „ Audieram saepe „ Flor. XVI. Kal. Dec. MDLVII. in Bibl. *Magliab.* Cl. VII. Cod. 346. p. 81.

LXXIX. Ep. ad *Alamannum Salviatum* Inc „ Dilexi equidem „ Flor. V. Kal. Dec. MDLVII. ib. p. 82.


LXXX. Ex Ep. ad *Georg. Fabricium* dat. Eid. Ian. MDLXVIII. Epp. ad Germanos Lib. II. innuimus, multum operae *Victorium* posuisse, in *Celsi* de medicina libris purgandis: ac revera politissimi scriptoris duae supersunt vetustae editiones in Museo *Victorio* Romae cum notis marginalibus eiusdem. Nonnullos veteris Ecclesiae Scriptores se velle expolire, atque inlustrare *Stanislao Hosio* Card. per literas significavit Epp. *Victorii* Lib. VII. p. 161. *Io.*

Io. vero *Cinellius* in Etruria literata MSS. in Biblioth. *Magliab. Victorio* adtribuit „ Paradigma de IV. linguis Orientalibus. Ipsi quoque perperam libellum adscribit, cui titulus „ *De Vrbis Romae regionibus & locis*, *Th. Pope - Blount* in celebriorum auctorum censura.

Vincentius Martellius tres *Victorio* Epistolas misit in collectione Epp. XIII Claror. Viror. Ven. per *Comin.* de *Trino* MDLXIV. 8. item *Annibal Carus*, ut videre est inter eius Epp. p. 7. 9. 12. 23. 73. 135.

Victorii vetustissimam papyrum evulgavit vir cll. *Scipio Maffeius* in Histor. diplom. n. XIV. p. 172. cuius etiam meminit *Franc.* eques *Victorius* in Histor. VII. Dormient. p. 70.

Pag. LV. huius Vitae, ubi scriptum est = Sanctissimi dies adpropinquabant = acerbissimae Christi Necis = *legatur* = Sanctissimi dies recurrebant = optatissimi Christi Adventus.


P·VICTORIVS·
ÆT·SVÆ·AN·LXXX
Æ
LABOR·OMNIA·
PETRVS·VICTORIVS·ÆT·SVÆ·AN·
Æ
INVENTRIX·OLEÆ·ET·ALTRIX·INGENIO
PETRVS·VICTORIVS·ÆT·SVÆ·AN·LXXX
Æ
CONCEDAT·LAVREA·LINGVÆ
PET·VICTORIVS·ÆT·SVÆ·AN·LXXXV
Æ
SI·MIHI·
SCEPTVM

CLARORVM ITALORVM ET GERMANORVM *EPISTOLAE* AD PETRVM VICTORIVM.

EPISTOLA I.

IO. FRANC. ZEFFIVS P. VICTORIO S.

Thomas Iuncta, qui in purgandis bonis auctoribus, quos inprimendos curat, sibi ipsi numquam satisfacit, post novissimam Epistolarum ad Atticum, tuo nomine, editam inpressionem, nactus earumdem Epistolarum volumen, adcurate per Reverendissimum *Benedictum Accoltum* Ravennae Cardinalem, castigatum, me impulit, ut quae in eo diversa a tua lectione reperirem, volumini, quod una cum his literis ad te misi, adscriberem: quod ea lege suscepi, ut non iudicio, sed calamo laborarem, tantumque abest, ut mutatum aliquid de tua lectione velim, ut de ea re cogitare, nedum iudicare noluerim. Suscepta namque illius codicis, non perpetua singularum Epistolarum lectione, sed sola linearum adfectarum, cum isto tuo conlatione, quod non responderet, adposui. Tuum nunc erit, & singula perpendere, & congrua, si

qua erunt, adprobare; idque, ut commodius praeſtare poſſis, noveris, illum caſtigatum codicem, Aldinae inpreſſionis eſſe an. MDXXI. excuſae; & caſtigationes in eo adpoſitas, fere omnes, aut vetuſti codicis, aut P. literae nota eſſe praemunitas; & ne te hactenus ſuſcepti laboris poeniteat, etiam illud ſcito, me multo plura in eo correcta, quae tuae lectioni ſunt congrua, inveniſſe, quam quae nunc iſti volumini per me ſint adſcripta. Iucunde itaque hoc extremum munus obeas, ut quas *Thomas* includere enchiridiis meditatur, exiguo hoc tuo labore purgatiſſime prodeant. Dum haec ad te ſcribo, ſubit meae iacturae recordatio, non ſupellectilium, non veſtium, non pecuniarum, non denique vulgatorum librorum, harum enim rerum ſuperflua, ſunt negligenda, neceſſaria vero obvia; ſed volumina aliqua non vulgata mihi periiſſe doleo, lucubratiunculas meas, mihi ſublatas queror; at informes, at rudes, at inconcinnae, & ineptae erant, & hoc illud eſt, quod me maxime angit, ea eiuſmodi adparere, quae ipſe, aut perfeciſſem, aut certe perfregiſſem. Erant ſane multa, quae, quum datum a litibus fuiſſet ocium, ſelectis ſeminibus, igni deſtinaveram, quae utinam cum ſeminibus nunc pereant, erant tamen aliqua, quae ſupremam manum expectabant: ut *Virgilii Marcelli* laudatio, miſcellanearum *Politiani* compendium, epiſtolarum volumen, declamationes aliquot. Erant prae-

praeterea patrio ſermone adlocutiones plures, comoediae duae, ad *Franc. Petrarchae* imitationem odae ſex, & triviales multae: quae omnia, quum facilius in praeſentia deplorari, quam inquiri poſſe intelligam, conclamemus. Vnum tamen eſt, quod neque conclamatum, neque iuri ceſſum, ſed omni amicorum ope mihi inventum velim, *Horatium* ſcilicet per me adcuratiſſime purgatum; enchiridio enim iſtic inpreſſo, & pecorino tergore involuto, multos per annos, multis, probatiſſimiſque conlatis codicibus, omnem eorum variam lectionem adnotaveram; tum altero eiuſdem inpreſſionis adcepto, pro arbitrio, quam probarem, repoſueram, & ne pars aliqua ſuſcepti laboris deperiret, neve inpoſterum ulli in inquiſitione, ſed in ſola electione foret elaborandum, varias lectiones adnotaveram, & cuncta denique excuſioni diſpoſueram. Dices, quorſum apud me de tuo elaborato *Horatio* tam dearticulata querela? eo ſcilicet, ut tu, qui in eadem arena laboras, propenſius inquiras, & facilius invenias. Te igitur pro tuo in bonas artes ſtudio, oro atque obteſtor, ut tum tua, tum amicorum induſtria, & cura mihi inventum cures. Quod ſi effeceris, & mihi rem gratiſſimam, & eius ſtudioſis perutilem, praeſtiteris. Vive, & vale.

Nonis Iun. MDXXXVII. Venetiis.

II.

PETRVS FRANC. GALLIANVS P. VICTORIO S. P. D.

Duplex caufa fecit, *Petre* fuaviffime, ut ad te has literas darem. Memoria primum praefentiffimi officii tui erga me, uxoremque meam, quam, quum a nobis iampridem difcederes, meo nomine fedulo falutafti, cuius tibi tunc habui, & nunc etiam ago gratias. Deinde, quod publice te profiteri latinas literas audio, de quo, ut utilitatem praeteream, cui etfi non eft inhiandum, non eft tamen contemnenda; propter muneris certe dignitatem, tibi valde gratulor. Etenim perpulchram exerces palaeftram, & in eo agone verfaris, unde Florentinae Civitatis iuvenes, non doctrina folum, fed optimis etiam moribus, legendo poffis inbuere, quibus fi temporum rationem obftare dixeris, quo reddantur meliores; ne deteriores fiant, quantum poteris, curabis. Eam habes etiam provinciam, quae eo tibi honeftior videri debet, quo, & *Francifcus Diaccetus*, vir ipfe quoque genere & literis nobilis, iam antea obtinuit; & ita, ni fallor, adminiftravit, ut illius viri recordatione, ei, qui illi fucceflerit, inluftrior videri poffit. Reliquum eft, quod te facturum certe fcio, ut omnes vires tuas, ita in rem intendas, ut alios non folum ad uberrimum doctrinae fructum promoveas; fed etiam nominis tui famam, quantum fieri poteft, extollas; quod bene au-

gu-

gurabor, si fervere Academiam intellexero. *Francisco Verino*, summo Philosopho, & utriusque nostrum amantissimo, & quod prius dicere volueram, etiam praeceptori, multam salutem meo nomine dici velim, ac plurimum commendari, rogarique impense, ne ipsum mei capiat oblivio. Si literas, quas abs te mutuas expecto, a doctis, magnisque viris legi non adspernaberis, in obscuro delitescere non permittam. Tu interim me ineptum, ac rudem aequius feras. Vale. Me tibi totum commendo.

Romae XV. Kal. Martias MDXXXVIII.

III.

M. CASALIS GEMINIANENSIS P. VICTORIO S. P. D.

Quum primum his paucis diebus domum istinc reveni, *Aonio Paleario* tuis verbis plurimam salutem nuntiavi: quae illi res, tam grata fuit, ut dicere non queam. Quare e vestigio mihi diligenter mandavit, ut, si ad te forte scriberem, nomine te suo adcurate resalutarem. Id quod, quum ipsi perlibenter promisissem, nunc multo libentius praesto. Quam velim, mi *Petre*, vos inter vos cognoscatis! experiremini, mihi crede, re ipsa, vera esse, quae alteri de altero vera praedicavi. Sed vide, quid fecerint eiusmodi salutationes. Ansam mihi inde, quasi iure meo datam, ad te scribendi sum ratus, nimis parum forsan cogitans, non esse me tanti, ut

cum

cum tali viro literis agere debeam. Ceterum si hoc inter pares dumtaxat, & aequales fiat, quam raro, & insolenter eveniet! tu vero, quando alicuius ad te scripta leges, quum omnibus tantum anteeas, quantum homo homini potest! Non do hoc auribus tuis; quod sentio, loquor, & meapte natura facio. Sed haec hactenus. Dixisti mihi, posteaquam te salutavi, ac de multis inter nos, ut adsolet, collocuti fuimus, opera istic tua, si quum mihi usuveniret, uterer arbitratu meo, futurum, ut me abs te mirifice amari intelligerem: qua de re maximas tibi etiam nunc gratias ago, maiores habeo, nam relaturum me, adfirmare non possum. Vnum interim non ignores, ingrati me omnium maxime animi crimen horrere, facturumque pro virili parte, si quid in me beneficii contuleris, ne te facti poeniteat. Vehementer igitur te etiam atque etiam rogo, *Francisci Campani* viri praestantissimi virtuti, fidei, felicitati, *Marcum* tuum fraterne commendes: quandoquidem, si mihi, non nervos contendendo, sed paululum pro auctoritate sua adnitendo, apud divinum Principem istum praesto fuerit, potero brevi, ita spero, Florentiae satis commode esse. Quae etenim eius est haereditaria, innataque, & insita liberalitas, ab hinc menses prope septem largiturum se nobis pollicitus fuit, quae ad cultum, & ad victum suppeditent. Si hoc mihi transegeritis, licebit quandoque dulcissimo conloquio vestro, &

con-

congreſſu perfrui: quod quidem adſecutus, *Craſſum* divitiis ſuperabo, atque omnium vicos, ut ille dixit, & prata facile contemnam. Vale.

Colle Tertio Nonas Decemb. MDXXXVIII.

IV.

AMBROSIVS NICANDER P. VICTORIO S. P. D.

Numquam adduci potuiſſem, ut ad te iſta doctrina, & dignitate virum tam familiariter ſcriberem, niſi me tuae illius probitatis, & humanitatis, quam in te iam inde a puero cognoveram, *Aloyſius Caponius*, iuvenis, & eruditus, & tui ſtudioſiſſimus, dudum admonuiſſet; quem quidem, licet hortatorem habuerim, tua tamen elegantiſſima, ac plane divina ſcripta, quibus tu *Ciceronem* optimum, ut ille ait, dicendi Magiſtrum, ut Minerva ſuum Vlyſſem „ *Od.l.6.v.229.*

——————— θῆκεν Διὸς ἐκγεγονυῖα
Μείζονά τ' ἐισιδέειν, καὶ πάσσονα· κὰδ δὲ κάρηλος
Οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας

nitidum, ac formoſum latinis hominibus reddidiſti, me maxime a ſcribendo deterrebant; ſunt enim eiuſmodi, ut illa viri etiam doctiſſimi admirentur, ſubſpiciant, ſuiſque laudibus in caelum evehant, in quibus variam eruditionem, reconditos ſenſus, peracre iudicium, illum denique diſciplinarum omnium orbem facile quis adgnoſcat: pro quo tuo ſingulari in omnes doctos beneficio, quantum tibi latina Reſpublica

ca debeat, neminem prorſus ſcire arbitror, niſi qui laborioſam aliquando conferendi exemplaria provinciam ſubierit. Ego, ut quod ſentio, dicam, nihil utilius, nihil magis ex uſu ad *Ciceronem* inluſtrandum, edi hac aetate poterat; ubi neſcio, an tui ingenii acumen, an multiplicem rerum omnium ſcientiam magis admirer: certe a doctiſſimis viris utrumque celebratur. Perge, mi *Victori*, & iſta divinae tuae eloquentiae felicitate nomen Florentinum, quod iam multos annos iacuerat, tui magnitudine ingenii adtolle; ſpero enim fore, ut tibi multo plus tua patria, quam ſuis olim *Politianis*, *Acciaiolis*, *Marcellis* ſit debitura. Sed de his parcius ὃ βϑλομαι κολακεύειν δοκεῖν σοι. Venio nunc ad me. Ego heic a clade Romana, quam Caeſariani adtulerunt, hucuſque, mercede publica docens, me continui; hoc tamen anno, pueros inſtituendi labore faſtidito, conquieſcere, meque ad mitiora ſtudia traducere decrevi: cupiebam publicam lectionem in aliqua inſigni urbe conſequi. Quare te per literas orare volui, ut ſi quem iſtic locum mihi, poſt te, eſſe videris, vel Civitatum finitimarum aliquam opima conditione praeceptorem ſibi diſquirere intellexeris, des operam, ut id tua adſequi ope valeam; faciam equidem, ne tui te unquam in me officii poeniteat; nemo enim ſtudium, aut officium in te colendo meum deſiderabit; qua in re, quod confici per te poſſit, plurimum qui-

quidem potes, pro tua humanitate me certiorem facere, haud gravabere. *Karolus Gundius* iuvenis, & noſtrarum literarum ſtudioſus, & diſcipulus noſter, haud poenitendus, tibi multam ſalutem dicit; huius ego, & *Antonii Vgolini* Quaeſtoris optimi, & integerrimi, & *Bindini Altovitae* liberalitate, mea heic foveo ſtudia: tu ſi me amas, *Ioanni Bulgarino*, iuveni erudito, meis verbis plurimam dices ſalutem.

Paene, quod praecipuum erat, praeterii. Grammaticus quidam, *Tulliam*, *Ciceronis* filiam, tribus nupſiſſe viris acerrime contendit, nullo quamvis auctore, probet; ego niſi *C. Piſo* alius ſit a *Craſſipede*, duos tantum fuiſſe *Tulliae* viros adſero, tu in utrius noſtrum ſententiam pedibus eas, me fac amabo certiorem, cuius reſponſum καθάπερ χρησμὸν ἕξω. Vereor ne tibi iam videar inpudentior: lib. 5. epiſtolarum ad *Att.* epiſtola 12. ubi erat *de ſtrue ſalinarum*, tu emendaſti: *deſtrues alterum*, incidi in exemplar, ubi erat ſcriptum, *de ſervis ſalinarum:* hanc caſtigationem, an ipſe probes, ad me reſcribas, velim. Vale, *Victoriae* domus ornamentum, meque in tuae ſinum benevolentiae ſponte currentem ſuſcipe.

Ancona XV. Kal. Iun. MDXXXIX.

P. S. Nactus ſum nuper marmoream tabellam, graecis characteribus inciſis, vetuſtatis quoddam monumentum, quos deſcribendos, & tibi mittendos curavi. Puto eſſe Τοῦ γυμνασίυ ψήφισμα:

ſunt tamen ibidem quaedam notae ignotae mihi, quas obeliſco in margine notavi, tu quod adyta, & intima Graecorum penetralia frequentas, quid de illis ſentias, ſignificabis; ignoſces tamen, ſi tibi homini vehementer occupato audeo id oneris inponere. *Bernardo Victorio* ſeni, olim meo Maecenati, ſalutem etiam meis verbis dices, cui me, ut de meliori nota commendes, iterum atque iterum rogo.

V.

FRANC. ROBORTELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Perlegi literas tuas, quas ad *Facchinum* noſtrum miſiſti magna cum animi mei voluptate, tum quia poſt multum temporis mihi tecum conloqui videbar, tum quia formam ſtudiorum tuorum in illis expreſſam vidi. De *Aonio* (1) quod ſcribis, eſt mihi curae: hominem plane amamus, & admiramur, ob ſingularem doctrinam, & ingenium. Exemplaria, quae efflagitas *Ciceronis* antiqua, quotquot habemus, mittemus, & iam tibi in hac re praeclaram operam mihi navaſſe videbor; incidimus enim in libros *de legibus*, *de officiis*, *de amicitia*, *de ſenectute*, *in oratorem* eiuſdem, & *Brutum;* orationes quoque non paucas fideliter, uti mihi videntur, ſcriptas. Haec nos iniuſſu eorum, qui dedere, mittere noluimus; adloqui homines hos non potuimus, quod Luca abe-

(1) Scilicet *Paleario*.

aberant. Dabimus tamen operam, ut ad te propediem veniant. Tu interim nos ama, & vale.

Luca IV. Kal. Ianuarias MDXXXX.

VI.

IDEM P. VICTORIO S.

Perlegi posteriores adnotationes tuas in epistolas *Ciceronis*, quas Familiares vocant, atque in iis singularem doctrinam tuam, & admirabilem, tum in rebus inveniendis, tum diiudicandis industriam ac diligentiam, etsi multo ante haec mihi erant perspecta, quod recognovi, plane iucundum fuit. Tu prorsus unus es, mi *Victori*, qui *Ciceronis* scriptis hac aetate lumen adtulisti. *Pauli* quoque *Manutii* adnotationes legi; in quibus nihil plane aliud efficere voluit, quam, ut in nonnullis locis explicandis, quos tu fortasse, data opera, sic enim ego te defendere soleo, ut nimis apertos, praetermiseras, te diligentior, ac in emendandis acutior fuisse videretur. Verum 'Ανλαίου τὸ πλῶμα πρέπει δ' Ἡρακλέα νικᾶν Τὸν Διός. Ἀργείων ἁ πάλα ὐ λιβύων. Ego, mi *Petre*, facit meus in te amor, ut tecum nihil dissimulem, non possum non laudare, & sententiam animi tui, & industriam, quam totam in *Ciceronis* scripta emendanda contulisse videris; dignus est enim plane *Cicero*, in quo doctissimus quisque, & gravissimus vir operam suam conlocet. Verum illud μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρ-

τέρπει. Satis mihi videre in hoc elaboraſſe; neque ullus eſt profecto, qui te in hac re ſuperarit, aut poſthac ſuperare poſſit. Si quid igitur amori noſtro tribuis, & omnium bonorum de te opinioni, ne patiare, quaeſo, in gravioribus rebus diutius a doctis operam deſiderari tuam. Habes animum optimis quibuſque inbutum diſciplinis: nihil eſt in omni ſcientiarum, & artium genere, tam abditum, quod tu iamdiu non perſpexeris. Quid multis? Tu hac aetate κατὰ τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν οὐδενὸς δεύτερος. Adpelle igitur animum ad hoc ſcribendi genus, in quo multo maiorem laudem conſequere; nam per Deum inmortalem, nonne vides, vel mediocri ingenio praeditum hominem, modo in varia incidat *Ciceronis* librorum exemplaria, ſi non veram, ſaltem veriſimilem elicere lectionem? Ego, ut de aliis taceam, librum habeo, in quo diverſae multorum, & antiquorum ſane codicum lectiones in Epiſtolas ad *Atticum*, *Brutum*, & *Q. Fratrem* a doctiſſimo viro magna cum fide conlectae continentur. Contuli cum tuis ſaepe aliquot; tuas, quum maxime probarem, hae tamen non diſplicebant; atque, ut rem apertius cognoſcas, ſubieci heic aliquot.

Lib. I. ad *Att.* in epiſt. quae exorditur: *Vereor ne putidum ſit &c.*

Quid in omnibus literis in Pompeiana laude.

In meo = *Quid meis orationibus & literis in Pompeiana laude.*

In

In eadem = *Usque istinc exauditum puto.*
In meo = *Istuc usque hinc.*
Lib. 4. epist. 3. *Q. Fratris liberalitati pro facultatibus nostris ne omnino exhaustus essem, illo recusante subsidiis amicorum respondemus.*
In meo = *Ne omnino exhaustus sit.*
In eadem = *Eo conscio omnia: illi fieri querebantur.*
In meo = *Meo consilio omnia fieri querebantur.*
In eadem = *Miranda virtus est, nova quaedam divina mitto.*
In meo = *Miranda virtus, nova quaedam, ac divina.*
Lib. 10. in ep. 10. *Me caecum, qui haec antea, &c. Ego vero vehiculo, si navis non erit.*
In meo = *Ego vero raticula, si navis non erit.*
Paulo post in epistola: *Et res ipsa, &c. Chloelium Catelli.*
In meo = *Clodium Catellam.*
In eadem = *Tamen nec dubitemus an & nos cum periculo venditemus, qui cum coniuncti ne cum praemio quidem volumus esse.*
In meo = *Tamen dubitemus ne an & non etiam cum periculo non dicemus qui cum conditione tum praemio noluimus esse.* Verum de his satis: nam cum volueris librum ad te mittemus. Haec ut ab homine non docto, sed tui amantissimo profecta sunt, ita adcipias velim.

Redeo ad tuas posteriores explicationes. Locum ubi declaras *Quinctiliani* (1) illum, ut dicis, obscurissimum *Clytaemnestram quadrantariam*; ut primum vidi, animum adrexi, sperans fore, ut in-

(1) *Inst. orator. lib. VIII. c. 6.*

induſtria tua, & conſequens, quod eſt ibidem, declararetur = *choam in triclinio*, *in thalamo nolam* = hoc enim obſcuriſſimum ſemper iudicavi. Tu ſi quid habes ſuper hoc, adde; iure enim optimo requiri a te debet, quod huic finitima declaras.

Quadrantariam putarem legendum *quadrantiam*, niſi ambiguitas oriretur in ſignificatione vocis in recto *quadrantia*. *Plutarchi* verba ad hoc pertinentia addas velim ex *Cic.* vita πολλὴ δὲ ἦν δόξα ϗ ταῖς ἄλλαις ἀδελφαῖς πλητιάζειν τὸν κλώδιον, ὧν τερεντίαν μὲν Μάρκιος ὁ ῥὴξ, κλωδίαν δὲ μέτελλος ὁ Κέλερ εἶχεν, ἣν κυαδραντίαν ἐκάλουν ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε. τὸ δὲ λεπτοτατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κυαδράντην ἐκάλουν. Hoc dixi, ut aliquid dicerem, quando id tantopere efflagitas. In tuis nihil reprehendat οὐδ' αὐτὸς Μῶμος.

Mitto ad te *Cic.* codices duos, alterum de officiis, amicitia, ſenectute, paradoxis: alterum de legibus. Hunc contuli cum vulgatis, atque in eo ſane multa offendi, quae magis probanda videntur. Alios mittam, quibus maxima orationum *Ciceronis* pars, & libri omnes de oratoria facultate continentur: quum tu hos remiſeris, quod brevi, ut facias, te vehementer rogo; poteris enim adhibere anagnoſtem aliquem, qui excerpat, ſi quid erit excerpendum. *Petrum Carneſeccam* noſtrum, velim a te aliquanto honorificentius nominari in illa

ex-

explicatione, ubi *Vbaldinii* ſit mentio. Totus ſum in vertendo *Athenaeo*, & iam duos, non infeliciter, uti mihi videtur, libros verti. Cupio opera tua manuſcriptum aliquod mihi dari exemplar, ne mihi tantopere, tamque diu ſit laborandum. Vale, & *Verinum* doctiſſimum philoſophum ex me ſalvere iube.

Luca v. Kal. Februarias MDXL. (1)

VII.

M. ANT. ANTIMACHVS P. VICTORIO S. P. D.

Multis, ac iuſtis de cauſſis *Albericum Longum* Salentinum, virum plane, mea quidem ſententia, morum probitate, ſingulari in utriuſque linguae ſtudiis doctrina, vitaeque integritate praeſtantem, multi facio, hominique in amore plurimum tribuo. Is in praeſens, quum ad vos eo conſilio proficiſcatur, ut iſtic commoretur, ubi ipſum, ſi non honorificam, honeſtam ſaltem vivendi conditionem, te auctore, nactum eſſe audio, eum tibi tantopere commendo, uti maiori cura, ſtudio, diligentia, aut magis ex animo, nemo aliquem commendare poſſit; nam ei ob eximias animi dotes, atque virtutes, quibus vir optimus cumulate praeditus eſt, bene cupio, & de eius uſu atque honore non parum ſollicitus ſum. Itaque quidquid huic, & virtutis gra-

(1) *Vid. Victorii reſponſum Lib. I. Epiſtolar. Petri Victorii Flor. apud Iunctas MDLXXXVI. p.* 14.

gratia, & amoris mei caussa pro virili tua commodaveris, erit mihi vehementer gratum, tibique, ut spero, non iniucundum: agnosces enim hac in re peragenda, te nec operam, nec oleum perdidisse, & *Longum* una cum *Antimacho* tibi deditissimo, amicitia tua non indignum existimabis. Vale.

Ferrariae Kal. April. MDXL. (1)

VIII.

F. NICOLAVS FVNSANVS AVGVSTINIAN.
P. VICTORIO S. D.

Multorum heic nunciis, & sermonibus pervulgatum est, nec non frequentibus ad Reverendissimum *Puccium* literis saepe iactatum, quod istic loco percelebri, & quo subinde tabellarii, hinc inde pervolant, verisimile est non minus, & fortasse prius, & certius, percrebuisse, summum Pont. ut adventanti Caesari de maximis rebus, atque adeo totius orbis tranquillitate, & salute congrediatur quamprimum Lucam per agrum Senensem, atque nostrum, decrevisse proficisci. Qui sane nuncius, etsi tibi homini literato, & ocioso, pro communi omnium utilitate iucundus esse debet, tamen ea re maxime non ingratum arbitror contigisse, quia in tanto caetu, atque adeo luce, & celebritate, magnorum, & clarorum virorum ampliss. Praesul

(1) *Respondit Victorius III. Eid. April. lib. I. Epp. p. 12.*

ſul *Nicolaus Ardinghellus* amiciſſimus tuus, tum quia Sanctiſſimo Patri eſt a ſecretis, tum quia pro magiſtro libellorum hoc tempore etiam munus ſubſtinet, cum primis haud dubie ſit adfuturus. Qui cum pro veſtra non ſolum dulci inter vos, & pro optata conſuetudine, ſed etiam editis voluminibus nota omnibus, & pervulgata benevolentia vos congreſſuros omnino exiſtimem, operae precium duxi, quod nimium iam ſaepe, & ob id invitus, & cum pudore facio, tibi pro me ſcribere, & quacumque datur, ne mihi defuiſſe videar, uti occaſione. Nam, ut omittam, quod reclamante natura, atque iratis diis, & hominibus, tamdiu, tam fruſtra, tam infeliciter, in hoc infauſto verſor ordine, iam annus elapſus eſt, ex quo dum provinciam tueor, dum fidem praeſto, dum pro communi libertate, atque omnium fortunis me obiicio truculentiſſimis tyrannis, exul, inops, omni dignitate atque ornamentis ſpoliatus, acerbiſſimo, atque iniquiſſimo utor Patriarcha. Quo quidem, quum nihilo aequiore, aut molliore me in poſterum uſurum confidam, ni rempublicam prodere, aut officium deſerere velim; tentandum mihi eſt, ſi qua tandem hominis inportunitatem, & ſaevitiam, potentioris alicuius praeſidio, te adiutore, & patrono declinare poſſim. Quamobrem, quum in tanto fortunae faſtigio *Ardinghellus* tuus, non tam multorum opera egeat, quam

multis praesidio esse solitus sit; compertumque habeam quantopere ille tua caussa velit, peto abs te mirum in modum, pro nostra veteri, & multis, ac maximis abs te officiis confirmata semper amicitia, ut quod alias sponte tua, quoties vellem, pollicitus es, te facturum; commendatione tua me illi concilies, homini, cui si me in clientelam, atque adeo in familiam tradas, opera mea, si non praeclara, & insigni, at qualicumque, certe fideli & sedula usuro. Neque mea referre arbitror, quo habitu amplitudini eius inserviam, dummodo mei tutelam, & patrocinium ille suscipiat, operamque praestet, ne quod mihi cum *Gaddio* Cardinali contigit, ridendus iis iterum veniam corvus Aesopicus, quos ringi potius, & uri, meo quopiam maiore commodo, & felicitate optarim. Demum hoc a te ita agi volo, si tibi in animum inducas, ut id libenter agas, nec non, si ex tua meaque dignitate id fieri posse arbitrabere. Nam totius rei scopus hic est, tantum peculii hoc postremo labore comparare, quantum homini studioso, qui tecum Florentiae in literis consenescere optet, sufficiat. Vale.

Pistorii VII. Kalen. Septembris MDXLI.

IX.

IX.

SEBASTIANVS CORRADVS P. VICTORIO S. P. D.

Etſi negotio, cui mea me patria duos ab hinc annos Venetiis revocatum praefecit, ita ſum nunc inplicatus, ut neque rem privatam curare, neque amicitias veteres colere, neque novas comparare poſſim; tuae tamen me tantum tenet deſiderium, ut id amplius ferre neque poſſim, neque velim; praeſertim quum, & ego ſciam, te ea doctrina excultum eſſe, ut nemini in ea re cedas, & omnes praedicent ea humanitate praeditum, ut omnes ea ſuperes. Quod ſi forte tibi temerarius, & inpudens videbor, vel quod ego tibi prorſus, ut arbitror, ignotus, id audeam ſperare, quod omnes cupiunt, vel quod homo ne mediocriter quidem literatus, virum literatiſſimum, & eruditiſſimum interpellem, atque idipſum literis hiſce, quae & in ſummis occupationibus, & quoquomodo ſint ſcriptae; tu & pro tua facilitate huic meae cupiditati plane incredibili veniam dabis, & pro tua prudentia eo me magis dignum iudicabis, qui, quod cupio, inpetrem, quo meae literae minus erunt fucatae. Peto igitur abs te, atque ita peto, ut nihil maiore ſtudio poſſim petere, ut me in ore tuo eſſe patiaris. Quod ſi inpetraro, ut ſpero, & opto, dabo operam, vel efficiam potius, ne te unquam meae obſervantiae poeniteat. Atque

ut

ut me hominem cum ſimplicem & apertum, tum blanditiarum omnium prorſus inimicum eſſe cognoſcas, agam tecum pingui, ut aiunt, minerva: mutuo abs te amari cupio. Nemo unquam, mea quidem ſententia, paucis plura eſt eloquutus. Ego vero, quum intellexero, me voti mei compotem eſſe factum, tum tibi pluribus explicabo, qui meus ſit in te amor, & obſervantia, quidque de te paene quotidie ſoleam de ſuperiore loco praedicare. Nunc, ut iſta tua tantopere optata amicitia iam frui incipiam; utque tibi hac ſaltem ratione aditum patefaciam, quo tu poſſis idem liberius, ſi forte uſuvenerit, a me petere, velim pro eo amore, quo ſi nondum *Corradum*, at literas, & literatos omnes proſequeris, me certiorem tuo commodo facias, quo pacto haec pauca, quae infra ſcripſi, in tuo libro, quem tantopere laudas, & mihi, & omnibus probas, legantur. Id erit mihi gratiſſimum. Vale.

Dat. prid. Kal. Oct. MDXLII. Regio Lepidi.

X.

WOLFANGUS DE VERTER THEODORI FIL.
P. VICTORIO S. P. D.

In amore, *Victori*, quid deceat ſemper obſervare, ſane hercule eſt per quam difficile, idque cum multas ob cauſſas, tum illam maxime, quod, quo vehementior, & ſincerior eſt,

hoc

hoc plus ei confidimus, & nihil non licere nobis persuademus. Adcidit idem mihi hoc tempore, qui, quum te tantum amem, quantum merito tuo debeo; maiorem amoris, quam pudoris rationem mihi habendam putem. Etenim & profitendo, & scribendo occupatissimo tibi obstrepere, pudor ipse, vel religio potius vetabat; contra vero amor, nihil horum amico, verendum admonebat. De quo tamen sic habeto, me resistere quoquo modo potuisse cupiditati meae, nisi id ut facerem, res etiam publica hortata esset, cuius, Dii immortales! quantum interest, ut divina illa veterum monumenta, quae apud Principem tuum reposita sunt, in publicum aliquando, te auctore, proferantur! quam ad rem, quum ita praeclare animatus sis tu, ut intelligere coram ipse potui, alio, quam te ipso, hortatore non eges. Declaras enim profecto, quum *Ciceronis* nobis epistolas primus restituis, quanto ardore ad haec studia feraris; quam operam si in reliquis quoque huius auctoris libris a te flagitarem, nimius fortasse sim, qui non amissorum modo a te, sed eorum etiam, quos habemus, restitutionem in integrum petam; facerem tamen cum publico hoc etiam bono, tum laudis tuae cupiditate incredibili, quam tu tantum in dies augebis, quantum ad inchoatum opus porro addideris. Ad utrumque igitur more magis, quam quod ita necesse sit, ad-

hor-

hortor te etiam atque etiam; alterum in voluntate tua positum, alterum, de quo prius, cum Principe tibi tuo commune, qui certe & domestico exemplo admonitus, & aetate ista, quae adpetens gloriae est, adcensus, & vero auctoritate motus tua, tantam laudem nolet negligere, atque ut velit, talibus tamen viris partam tot laboribus famam quasi invidere, tantoque nos omnes emolumento privare videri; esset sane alienum a dignitate illa. Vides, quanta res agatur, & quanta se offerat cum benemerendi de genere humano, tum retinendae dignitatis vestrae occasio, qua si ita utere, ut facturum te pro tua in tuos pietate confido, praeterquamquod te dignum feceris, orbem terrarum summo beneficio tibi obligabis. Monumenta illa vetustatis, quae emendata apud te sunt, rogo, si molestum non est, ad me transmittas, idque amicitiae tribuas; tum si quid aliud, quod ad studia haec nostra ornanda tibi aptum videbitur. Decretum illud apud D. *Galli* portam abiens non inveni. Legem operis antiquissimam, quam coram polliciti sumus, adcipis a *Fabritio* nostro adcurate descriptam, quam tibi gratam confido fore, & quia verbis elegans est, & veterum in omni re diligentiam ostendit. Vale.

Ex Patavio Prid. Nonas Iulii Anno MDXLIII.

XI.

XI.

ANDREAS DACTIVS P. VICTORIO S. P. D.

Ex quo καλὲ σύντεχνε, Dei optimi maximi, & noſtri Principis benignitati viſum eſt, ut qui meliores annos tribuimus ſtudioſae iuventuti erudiendae, etiam ſenectutis, qualeſcumque ſunt, tecum inpendamus; noſtra intereſt, quod utriuſque commodo fiat, ut demandatam nobis provinciam in commune bonum communibus auſpiciis regamus, & communicatis conſiliis, praeſentes, quid agendum ſit deliberemus; in quam ſententiam, ſi bene te novi, facile iturum confidimus: quod ſi aliter, quacumque ratione ſentias, non te pigeat, qua hora, quos auctores interpretaturus ſis, tuis literis ſignificare; ego, ut olim Praeceptoris munere, quatenus mihi licuit, functus videor, ita ab aequiſſimi Collegae officio non diſcedam. Vale, & nos, ut facis, ama.

Ex Florentia XV. Kal. Novemb. MDXLIII. (1).

XII.

VINCENTIVS BORGHINVS P. VICTORIO S. P. D.

Neque occupationibus meis factum eſt, *Petre Victori*, nec mehercule pigritia, quominus, poſteaquam Florentia diſceſſi, aliquid ad te, quem

(1) *Reſpondit Victorius ex Decimano ſuo XII. Kal. Nov. lib. 1. Epiſtolar. p. 17.*

quem ſemper officioſiſſime colui, literarum dederim. Sed me partim, ut verum fatear, verecundia, partim etiam timor a ſcribendo retraxit; & quamvis nullam ſatis idoneam, & veram cauſſam eſſe putem, quae me abducere ab officio meo debuerit, ego tamen is ſum, qui quum ad te mihi ſcribendum eſſe cogito, virum, quod libere per te quaeſo proferre liceat, omnium noſtrae aetatis doctiſſimum, diſertiſſimumque; deterret me pudor quidam iudicii tui, ineptus fortaſſe, & puerilis, ſed tamen ita deterret, ut numquam mihi tantum diſcrimen, & quaſi ingenii periculum adire viſus ſim. Quid quaeris? nihil omnino reperio, quod non dico tuo iudicio ſatisfacere, id enim non valde mirandum eſſet, ſed ne meo quidem, quod facile quidvis concoquit, vel mediocriter probari poſſit. Quid enim adferre habeam iuvenis vix primis literis tinctus, & omnium paene rerum inperitus, quod cuiuſvis mei ſimilis, nedum politiſſimas tuas aures, vel eruditione, vel dicendi ſuavitate retineat. Sed his omiſſis, *Ariſtoteleos* illos commentarios, quos ſi iam perpoliſti, brevi, ut puto, videbimus, avidiſſime expecto, & quum omnia tua mihi ſemper, non iucunda ſolum, verum etiam admirabilia viſa ſint, haec tamen poſtrema, ea fore non dubito, quae omnes ſpes meas facile ſuperare debeant. Si enim in his, ut ita dicam, praeludiis, quae vix ornamenta recipiunt,

piunt, & quae tu, quum iocari vis, nugas adpellas, ea ineſt, & copia rerum, & ſermonis elegantia, & ingenii atque artis magnitudo, ut neſciam quidnam in hoc genere perfectius inveniri poſſit: cerno iam animo, & cogitatione, quanto ea, quae in manibus habes, ornatiora, atque illuſtriora futura ſunt. Eos tamen me ſatis tempeſtive viſurum tibi perſuadeas, ſi quum tibi commodiſſimum erit, videre contigerit. Ceterum ſuperioribus diebus, quum paullulum otii nactus eſſem, tuos in *M. Catonem*, & *Varronem* labores magna cum voluptate, nec minore certe cum utilitate perlegi. Dii boni, quam multa ibi nova, quam rara! quanta porro antiquitatis notitia, quantum iudicii in tuis illis ſcriptis continetur! Profecto hoc verum de te dicere poſſum, quod, niſi memoria fallit, a te de alio, neſcio quo pronuntiatum eſt = eruditiſſimi viri, labor maximo me labore levavit = eam enim operam in eis purgandis conlocaſti, eamque fidem, & diligentiam adhibuiſti, quae cum ipſis neceſſaria erat, tum vero omnibus antiquitatis ſtudioſis, qua & ego pro mei ingenii modulo valde ſemper delectatus ſum, iucundiſſima, ſi grati eſſe volent, omnino erit. Sed ad rem. Quum eos legerem, notavi inibi quaedam, quae ad te referre deſiderabam. Sed de ceteris alias; etſi per negocia mea licebit, brevi ut puto, coram videbimus. Vnum nunc *Varronis* (1) locum adferam,

(1) *Lib. III. c. 11.*

ram, in quo mendum ſubeſſe puto. *Quin ſimulac promiſeris minerval, incipiam, inquit, ideſt coenam*. Ego duo poſtrema verba libenter inducerem; nimis enim profecto ocioſa meo iudicio ſunt, niſi forte homini romano quid videlicet minerval eſſet ignoranti, ea vox declarari oportebat. Siquidem arbitror ea declarationem quondam fuiſſe illius nominis, poſtea in ordinem verborum *Varronis* inportune ab indoctis librariis translata: quod ipſum ſexcentis locis, in optimis auctoribus factum videmus. Sed tamen falli poſſum. Eſt praeterea locus in ſecunda *Antoniana*, de quo ſi recte memini, in Decimano tuo, quum eo ad te ſalutandum, ut mea in te obſervantia poſtulabat, adceſſiſſem, loquuti ſumus, ſed reſtat adhuc paullulum ſcrupuli: locus ille eſt. *Caſſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamna*. Hanc tu ipſe poſtremam vocem mendoſam eſſe cenſebas, quod nullum eſſet in illis locis oppidum eius nominis. *Strabo* tamen lib. v. ſi tamen locus integer eſt, quum de Latinorum oppidis ageret, de Interamna, ſive Interamne neſcio qua, meminit; *Vrbes, Ferentinum, & Fruſino, quam Trerus radit amnis ingens ad Interamnem inter duos confluentes &c.* An de hoc, ſive oppidum ſit, ſive aliud quid, nam nihil praeterea teneo, *Cicero* intellexerit, quaerendum puto. *Franciſcus Maturantius* hac auctoritate *Strabonis* fretus, de hoc, ut ipſe vult, op-

oppido, eum intellexiſſe putat. Loca certe, ſi ita eſt, quin illud eſſe poſſit non inpediunt, quum Aquino, & Caſſino propius abſit, quemadmodum ex aliis illis oppidis, Ferentino, & Fruſinone, quae adhuc permanent, nomenque ferme priſtinum ſervant, intelligere poſſumus. Sed tu hoc videbis, & quum ſemel caepi locum *Suidae*, in quem caſu, quum alia quaererem, incidi, non alienum viſum eſt his adnectere, ſi forte aliquid faceret ad locum, qui eſt in VIII. ad *Atticum*, ubi de *Dionyſio* agitur in epiſtola: *cum ante lucem* VIII. *Kal. &c.* Tractatur autem a te in prioribus Adnotat: πολλὰ μάτην &c. eſt autem in dictione Πολλαὶ ἀπειλαί. Πολλὰ δὴ μάτην ἔπη θυμῷ κατηπείλησαν, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν αὐτοῦ γένηται φροῦδα τ' ἀπειλήματα. & quamvis veteris veſtigia lectionis, quam tuo beneficio adepti ſumus, ad verba *Suidae* adcommodari vix poſſe videantur; ſi tamen ſenſum, quam verba ſpectare malumus, magnam inter ſe, niſi ego valde fallor, habent ſimilitudinem. Verum enim vero, & hoc ipſum, & ſuperiora illa, ante per te fortaſſe vidiſti. Sed tamen hanc meam diligentiam pro tua humanitate in bonam partem adcipies: vel etiam, ſi ita vis, me ridebis, qui te tantum, ac talem virum ineptiae meae ſpectatorem eſſe voluerim, & tantum non geſtum in ſcena egerim, ſpectante longe elegantiſſimo *Roſcio*. Neque vero

me fugiebat, quamvis ſim ineptus, ut ſum, ἐπιφυλλίδας ταῦτ' εἶναι καὶ στωμύλματα. Verum quid agerem, erat animus omnino ſcribere, & literas inanes mittere ſubpudebat: poſthac equidem dabo operam, ut paullo cautius, aut ſi mavis pudentius, ad te ſcribam. Sed de his ſatis. Ego, ut tandem aliquid de me dicam, in ea ſtudia, quae tibi coram expoſui, quanta maxima poſſum diligentia incumbo, omneque tempus, quod mihi a ceteris occupationibus datur in iis conſumo; ſed, quod doleo, minimo certe cum fructu. Nec me putes id modeſte magis, quam vere dicere. Mallem id quidem, ſed id, cuius optime mihi conſcius ſum, diſſimulare non poſſum; praeſertim quum huius rei cauſſa, proclivis, & aperta ſit: ea enim me deficiunt, quae his ſtudiis utilitates maximas praebere conſueverunt: congreſſus nempe, & familiaritas doctorum virorum. Si enim per paucos, eruditos illos quidem, & quantum eorum aetas patitur, diſertos, mihi certe amiciſſimos iuvenes, dempſeris, maxima eſt in his locis a politioribus hominibus ſolitudo. Atque utinam, quemadmodum tuis doctiſſimis ſcriptis & humaniſſimis conloquiis ad haec excitatus ſum; ita in eis te, quod ſemper cupidiſſime expetivi, doctore uti potuiſſem; non audeo equidem profiteri, me aliquid ſumma tua eruditione & diligentia confecturum fuiſſe; pertentaſſem certe, & fortaſſe, ſi non ingenio, ali-

aliquid tamen ſtudio, labore, cupiditate, Deo bene favente, perfeciſſem. Verum enimvero, ut nihil aliud, *Victorio* me in diſciplinam tradidiſſe, nonnihil forte gloriae; permultum quidem voluptatis adtuliſſet. Cum uno enim mihi crede, ſermone tuo, amplas illas beatorum, & opulentorum fortunas deliciaſque non confero. Sed quo frui praeſente non licet, abſentem certe deſiderio, & cogitatione complector, totoſque dies tecum in tuis libris dulciſſime conloquor; quo fit, ut ſiquid ſcio, quod ſentio quam ſit exiguum, & prope nihil, ſed fac eſſe aliquid, id totum tibi uni, tuiſque laudatiſſimis laboribus adceptum referam. Vale, doctiſſime *Victori*, atque id tibi certo perſuadeas, mihi ſecundum optimum, & mei amantiſſimum fratrem, te eſſe cariorem, aut iucundiorem neminem. *Victorium* tuum, paterna virtute, claritate, eruditione digniſſimum pervelim meo nomine ſalvere iubeas; & delicias tuas, *Oricellarios* fratres, & amicos omnes, & in his praecipuos *Marcelli* filios, & *Garbum* noſtrum. Tu iterum vale, & ſalve, & me, qui te unice amo, diligito.

Mantua Non. Ian. MDXLIIII. (1)

XIII.

(1) *Conſulenda eſt Victorii ad Borghinum Ep. data IIII. Eid. Febr. Epp. Victor. lib. I. p. 17.*

XIII.

IDEM P. VICTORIO S. P. D.

Quum optatiſſimas literas tuas perlegiſſem, doctiſſime *Petre*, quibus me pro tua incredibili humanitate longe honorificentiſſime adcipis, etſi, nec decipi poſſe acutiſſimum virum, nec εἰρωνεύεσθαι graviſſimum arbitrabar, quum tamen me ipſe reſpicerem, & quam longe ab eis ornamentis abeſſem pulchre intelligerem; quaerebam ipſe mecum, quid nam egregia illa praedicatio de mea laude ſignificaret; ut enim eam veram agnoſcere nullo modo poteram, ita nec penitus repudiare, nec iudicium tuum, quod in ceteris omnibus rebus longe optimum amplector, una cogerer condemnare. Quod feciſſem profecto, ſi eas laudes in veri iudicii, ac teſtimonii, & non potius in amoris loco, ponendas eſſe iudicaſſem. Sicut enim eius, quem non ames, etiam ſiquid eruditum adtulerit, inſulſum videri plerumque ſolet, id quod nonnunquam ſcimus, ipſi uſuveniſſe *Ciceroni*; ita ſi quempiam nacti ſimus nobis egregie carum, huius mediocria dicta, non ſolum optima, laudibus in caelum efferre conſuevimus. Quod quidem ſi ita eſt, non tam laetus ſum, ut iuvenis ille *Naevianus* abs te, *Petre*, laudari laudato viro, quam omnium humaniſſimi, doctiſſimique ſummum erga me amorem expertum eſſe. Cuius quidem in multis rebus alias,

nunc

nunc vero insigne quoddam indicium in tuis suavissimis literis perspiciebam. Atque id quidem ego tanti facio, ut nullos honores, nullas populares auras cum hac tua benevolentia comparandas putem. Tibi ergo, quod hoc animo in me sis, maximas gratias & ago, & habeo; quod vero me tam candide, & effuse laudas, idest, ut ego interpetror, quasi acutissimis stimulis admotis, ad veram me virtutem & laudem cohortaris; dabo operam pro viribus, ut in ea re respondeam expectationi tuae. Quod ipsum, quum antea valde cuperem, nunc, quando te id tantopere velle animadverto, persequar etiam studiosius: quamvis illud vereor, ut id optare multo facilius sit, quam praestare. Ita enim ex omni parte maximis occupationibus, iisque longe horum studiorum alienis inpedimur, itaque ab omnibus, quae ad hanc facultatem parandam spectant inparati sumus, ut portenti simile sit, quemquam ex hoc vitae occupatissimae genere ad aliquam eloquentiae laudem adspirare. Persaepe itaque beatos illos iuvenes iudico, qui tecum vivunt, tuaque humanitate, eruditione, sapientia adsiduissime perfruuntur; atque ab iis, hortor, magna quaedam exspectes, quibus ita omnia ad votum contigerunt, ut non tam ipsis occasio, quam ipsi occasioni, nisi incredibilia quaedam confecerint defuisse videantur. A me vero quid speres, qui, ut summa haberem

rem cetera, quae revera minima sunt, temporis quidem certe vix satis habeo, ut unum optimum auctorem, non modo perdiscere, sed ne perlegere quidem otium sit? verum nolo me putes his difficultatibus deterritum, intermittere studia literarum, in quibus etsi non multum temporis ponere possum, cupiditate tamen discendi, qua paucis omnino concedo, curo diligenter, ne ullus dies ab aliqua exercitatione vacuus praetercurrat. Itaque horis subsecivis aliquid exercendi stili gratia scribo, porro autem plurima lego: & horum omnium ea ratio est, ut ad ipsum *Ciceronem*, quem iampridem, te auctore, adripui, me totum adplicem, atque in eo statuam, non solum eloquentiam, si qua hoc ingenio, & hoc ocio comparari potest, verum etiam politiorem eruditionem debere quaerere. Verbosius de his tecum ago, quod, quum bonam epistolae tuae partem in his sermonibus consumpsisses, summamque studiorum tuorum mecum benignissime communicasses, non vacare culpa mihi visus essem, si in respondendo paullo indiligentior fuissem. Sed satis de his dictum sit. Quae vero de *Barbari* editione ad me scripsisti, falsa fuisse puto; nam id dedita opera, quum Venetiis agerem, pervestigaram. Sed fac eum emisisse; quidnam caussae est, quamobrem editionem tuam interturbare debeat? Praeterquam enim quod ea ratio scribendi a com-

men-

mentariis longiſſime abeſt; talis eſt tua eruditio, tale ingenium, tale, dicam te invito, quod ſentio, genus ſcriptorum tuorum, ut nihil ab illo debeas periculi ſubſpicari: tantumque abeſt, ut mihi probaris ea continenda eſſe, ut etiam praegeſtiam vos ſimul committere, quum fretus doctrina, & diligentia, quae in te ſumma eſt, non dubitem ex hac contentione ſtudiorum veſtrorum, tua multis partibus elegantiora viſum iri, teque ex ea re, magnam apud omnes gloriam adepturum. Iam vero quod tibi libros nobiliſſimi Philoſophi corrigendos, explicandoſque ſumpſiſti, hoc eius generis eſſe puto, quod & tibi aeternae laudi, nobis vero ingenti utilitati futurum ſit: & quum omnis Philoſophia frugifera cenſeatur, magnaque adiumenta non ſolum ad animi cognitionem, ſed etiam ad eloquentiam adferat, id inprimis eius eſſe arbitror, quae de moribus agit; eamque praecipuam matrem eſſe benefactorum, beneque dictorum. Poſtremo quae mihi de *Ciceronis*, & *Varronis* locis reſcripſiſti, & probata mihi mirum in modum, & grata fuerunt. De illis vero ad te ſcripſi; indicabo tibi nunc malitiam meam, non ut ſtudium meum oſtentarem, aut aliquam diligentiae laudem apud te adipiſcerer, quem tamen ſubinde ingenii mei theatrum adpellare ſoleo; ſed ut ea occaſione doctiſſimas tuas epiſtolas elicerem. Cuius quidem rei, niſi forte tibi mo-

lestus interveni, nihil est, quod me poeniteat; recepi enim χρυσᾶ χαλκείων. Verum posthac occupationum tuarum rationem subducam diligentius, ne tibi quod minime velim, malo sit humanitas tua. Superioribus diebus literas ad te Venetiis dedi, simulque veteres quasdam lectiones orationum *Ciceronis* misi, quas tibi redditas esse vehementer opto, & quod sine tua molestia fiat, scire quid de illis sentias. Ceterum ego valeo, & te valere, cum tui caussa, tum omnium nostrum maxime cupio. Valebis igitur, & *Victorio* tuo plurimam salutem dices, & amicis.

Mantua VII. Kal. April. MDXLIIII.

P. S. Scripta Epistola superiore, quam inopia tabellarii, plurimos iam dies retineo, alteras tuas, sed eas perbreves; & patrio sermone scriptas adcepi, quibus Venetis meis literis respondebas; iis ego etiam breviter, sed romane rescribam, & in hac re quam probari tibi admodum sentio, morem geram desiderio tuo. Atque, ut ab eo, quod in ea primum est, ordiar, lectiones illas, quales quales sunt, putabam ego quoque te antea vidisse: sed quum *Thomas Iuncta* noster, an eas tecum communicasset non satis commeminisset, & nemini omnino copiam earum se fecisse adfirmaret valde adseveranter, praeterea obnixe a me contenderet, ut eas ad te mitterem; non putavi committendum, ut si forte non legisses, tibi diutius ignotae essent,

quum

quum id nullo negocio facere possem; commodum siquidem necessarium quemdam suum Florentiam mittebat. Iudicium vero tuum, quod de illis facis, ego quoque probo, ineamque sententiam per me, ubi primum eas legere potui, facile discesseram. Nec tamen id me a mittendo deterruisset, dummodo novas esse putassem, quum nullus fere liber sit ita malus, ut nihil ab eo utilitatis capere possimus. At tu perhumaniter facis, qui voluntatem ipsam boni consulas, nec tam quid praestiterim, quam quid praestare voluerim, spectandum ducas. Sed quid est, mi *Petre*, quod de re *Barbari*, leniter me pungis, & pene dixi, mecum expostulas? An ego si eius rei, vel tenuem rumorem inaudissem, non statim te certiorem fecissem, imo vero omnia quaecumque ea essent, ad te perferenda curassem? Male, male existimas ita vivam, optime *Petre*, de animo meo, si putas existimationem tuam cuiquam cariorem esse, quam mihi; sed ut scripsi, quum id diu, adcurateque quaesissem, nihil de ea re, non modo cognoscere, sed ne subodorari quidem potui. Quod sane, an eo adciderit, quod hospes illic quum essem, & hominum, & rerum omnium inperitus, a quibus oportebat, id expiscari nequiverim; nec adfirmare animus est, nec negare: negligentia certe, aut laboris fuga commissum non est. Sed quid est, Dii boni! quod haec res te

tam sollicitum habeat? videre mihi nunc videor aestus animi tui, teque huius rei exitum exspectantem, nullum periculi genus non timere. At vereor interdum, ne plus aequo timidus videare: non quod me lateat, modestiam summis laudibus a praestantissimis Philosophis ornari solitam, nec cuiquam vitio dari, si de se, quam modeste, submisseque sentiat; sed quod etiam praeclare existimem iudicasse *Ciceronem*, quum scripsit illud γνῶθι σεαυτὸν, non ad arrogantiam solum minuendam esse dictum, sed etiam, ut bona nostra norimus: quae quidem verba si paullo attentius cogitabis, non ita contrahes, ac demittes animum, sed potius, quod verum est, reputabis; quum summam diligentiam adhibueris, eruditionem vero, & ingenium ad eam rem adtuleris, quantum nos experti iampridem, admiratique sumus, non quantum tu, quae est tua modestia, iudicas: futurum etiam, ut fortuna tibi secunda comitetur, quae fere numquam a virtute disiungitur, quantumvis eas imperitorum error capitales inter se inimicitias exercere fabuletur. Haec cogitans, mi *Petre*, bono animo esse debes; aut enim nemo, quod magis credo, aut si quis tibi negotium facesset, quum omnibus rebus superior sis, ab omnique doctrina instructior, maxime, mihi crede, eum suae ineptiae poenitebit. Tu vero, non solum pristinam tuam gloriam, nominisque celebritatem,

tatem, qua nunc praecipue flores, facillime ſubſtinebis, verum etiam in dies clarius augebis, & latius. Sed quid ago? Vereor equidem, ne modeſtiam meam, dum de modeſtia loquor, deſiderare cogaris, qui te talem, & tantum virum, & eruditionis, & prudentiae gloria excellentem tam libere monere auſus ſim. Sed peccandi licentiam ipſe mihi praebuiſti, qui me ita humaniter, amanterque conplexus es, ut de omnibus, tamquam cum altero me, audeam tecum loqui. Et certe ſi huc reſpexeras, non male a te in prioribus literis dictum fuit, amorem ingenii mei luminibus obſtruere, nec me verum ſentire permittere; in hac enim re perfacile decipi poſſe fateor, nec tantum tribuere, quantum deberem, intelligo: eſt autem humanitatis tuae, has meas ineptias in bonam, ut facis, partem adcipere, amorique huius erroris cauſſam adtribuere. Illud vero mihi ignoſcas pervelim, quod tardius tuis literis reſcribo. Raro enim mihi adcidit, ut habeam qui iſtuc proficiſcantur: quum vero hominis poteſtas erit, cui literas committere audeam, numquam intermittam. Vale iterum, & me ama.

Idib. April.

XIV.

XIV.

AMBROSIVS NICANDER P. VICTORIO S. P. D.

Ioannes Gondula, Civis Ragusinus, amicus summus meus, nuper tuus factus, tuarumque virtutum admirator, quum hinc a me discederet, illud in primis mandatum a me adcepit, ut te frequenter viseret; futurum enim illi dixi operae precium, tua uti consuetudine, unde, non solum recondita literarum arcana, verum etiam probatissimorum ornamenta morum facile sibi educere posset; addidi etiam, non omnino operam lusurum, si id iter, te tantum videndi, tecumque conloquendi caussa subscepisset; quorumdam enim longe te inferiorum fama per multos ex ultimis orbis partibus nonnumquam Romam adtraxit: quare si saperet, quum sibi per negocia licuisset, te adiret, tecum esset, teque adcurate, & attente, quum posset, dicentem audiret; fore enim illi pollicebar, ut auctior, ac locupletior doctrina, exemplis, rerumque reconditarum varietate ad nos reverteretur. Is modo, & de meo mihi consilio gratias agit, & tua nihil sibi iucundius istic consuetudine persancte iurat, qui superioribus ad me diebus *Electram* tuam ἐκ τῶν βιβλιοτάφων σκοτίας summa cura, & diligentia receptam tuo nomine ad me misit, quam ego statim avidus perlegi, sed adcidit, ut postridie quam adceperam, *Hermodorus Li-*

tar-

tarchus, summa mihi familiaritate coniunctissimus, vir sane graecus, graecarumque literarum, ac nostrarum doctissimus, Anconam ab urbe veniret, est enim Cardinalis *Salviati* ἀναγνώστης qui ad me divertit; quumque multa ultro citroque de rebus urbanis dicta essent, ad *Electram* venimus, ubi industriam ille tuam in complectenda literaria Republica summis laudibus extollebat, cupereque se mirifice aiebat, quem ex scriptis nosset, de facie etiam cognoscere, narrabatque sui Principis iussu chalcographis operam dedisse, quo limatior, purgatiorque Romae prodiret; quumque eam pomeridianis studiis legerimus, permultis ac gravissimis sententiis refertam deprehendimus. Οἰκονομία vero, ut tu scribis, haud sane constabat; dubitandum tamen ex multis graecis auctoribus minime censebamus, quin ea esset *Euripidis*; & *Hermodorus* adserebat legisse se apud *Stobaeum*, si recte meminisset, editas olim eiusmodi tragoedias, & comoedias dissimili exitu, ut tragoediae, non semper luctuoso fine, comoediae vero non satis laeto clauderentur: quidquid id sit, phrasis ipsa *Euripidis* dignoscitur, ob quam, & ob *Ciceronis* officinam illustratam, debent tibi, debebuntque docti omnes plurimum. Ego vero, quem tu tanto munere honestasti, tantum me tibi debere fateor, ut ne solvendo quidem esse umquam me posse sperem; dabo tamen operam, quod ad me

adti-

adtinet, ne ullum in me officium, aut debitam in te obſervantiam deſideres. Extremum illud eſt, ut tibi meum *Gondulam* commendem ea commendatione, qua in epiſtolis nulla gravior, aut de meliori eſſe nota poſſit; nam praeterquamquod virum optimum atque honeſtiſſimum, quique tua dignus ſit amicitia, tibi devinxeris, in me ſummum beneficium contuleris, ſi tuorum ipſorum amicorum numero adſcripſeris. Vale. Kalend. Aug. MDXLV.

P. S. Scripta iam Epiſtola expedire mihi viſum eſt, quae ſit *Lua* Mater (1), & te tamquam oraculum conſulere, de qua *Livius* in octavo primae decadis limine meminit, quis etiam ſit *Seſcenaris bos* (2) apud eumdem quintae decadis primo, non longe a principio; ignoſces tamen, ſi tua illa ſacratiora ſtudia his nugis interpellabo, permultos enim claros viros conſului, a quibus certi aliquid nondum adcepi, nam quod *Diomedes* grammaticus ſcribit, nihil mihi ad rem facere videtur. Tu pro

(1) *Erat Dea quaedam apud veteres, a luendo exſpiandoque nomen ſortita, quae praeerat luſtrationibus, & luſtris. Vid. Turnebum Adverſ. lib. XVI. c. XX. & l. XXIII. C. XXIII.*

(2) *Conſule Pitiſcum in Lexico antiquit. Romanor. V.* Bos Seſcenar. *De boc meminit Livius XLI.* 15. *ſed locus videtur a libraris conruptus, & ſcribendum duobus literis immutatis* bovis ſexcenarii, *boc eſt, ſexcentarum librarum, qui grandior erat praecipue in Itali*

pro tua singulari humanitate, si quid dignum te inveneris, de eo me certiorem facito. Vale (3).

XV.

FRANC. SPINVS P. VICTORIO S. P. D.

Plurimam tuo nomine salutem mihi sane merito gratissimam adcepi a *Hieronymo Baccello*, nihil tamen ei te mandasse adfirmavit, de eo codice, quem magnopere *Remigius* a te flagitabat eis literis, quas una cum meis his diebus ad te dedi; quod me non parva molestia adfecit, namque in maiorem modum reformido, ne meorum incuria, ad te delatae non sint, quamvis diligentissime cuidam propinquo meo mandaverim, ut eas tibi reddendas curaret: quum vero, nec mihi, nec *Remigio* ullum responsum dederis, non parum anxius sum, si enim redditae tibi fuissent, compertum habeo, nullo te pacto hanc praetermisisse occasionem, quin nobis aliquid saltem significares; quamobrem tuae erunt partes, me si eas non adceperis, certiorem facere, ut easdem ad te rursus rescribere, & *Remigius*, & ipse etiam possimus. Quod autem ad nostram Academiam pertinet, audivi his diebus *Robortellum*, quia facile ex eius lectione arbitrabar argumentum

(1) *V. Victorii responsum D. ex agro decimano XII. Kal. Septembr. MDXLV. lib. 1. Epp. p. 19.*

ad te scribendi me excerpere posse, non quia ullo pacto sperarem eliicere me posse aliquid dignum, quod a me tibi significaretur; nec mea quidem me fefellit opinio; occurri enim, quum species illas τῆς ποιητικῆς explicaret, inter quas τὴν αὐλητικὴν, καὶ κιθαριστικὴν *Arist.* enumerare non te fugit, quare alteram, τὴν κιθαριστικὴν inquam adfirmavit prorsus eamdem esse τῇ λυρικῇ exemplo quodam *Pollucis*, qui dixerat λύραν ἐκιθάρισεν, & quibusdam aliis parum, ut ipse diiudicare poteram ad id confirmandum adcommodatis. Quum vero quod genus esset poematis τὴν ὠλητικτὴν ostendere vellet, diligentissime declaravit τῶν αὐλῶν τὴν δύναμιν & quantum commovissent olim animos hominum, enarrare maxime laboravit, & in hoc denique praecipuam curam, & omne studium suum conlocavit, multaque citavit exempla; utriusque vero antiquitatem comprobavit, quod earum mentionem faceret *Cicero* pro *Murena*, quum ait eos, qui citharaedi esse non poterant, auloedos fieri solere. Praeterea quum venit, ubi *Aristoteles* harum specierum differentias tradit, & inquit διαφέρουσι δὲ τρισὶν, ἢ τῷ γένει ἑτέροις μιμεῖσθαι, ἢ τῷ ἕτερα ἢ τῷ ἕτερον. Tria haec, inquit ille, intelligite, ἁρμονίαν, λόγον, κὶ ῥυθμὸν; quum vero dico ῥυθμὸν, intelligo numerum, quum vero numerum, saltationem illam, qua olim agitabantur in scena; exemplo autem id confirmare non potuit, id quod ei non parum eripuit laboris; explodebatur enim

enim maximis ſibilis, ut ceteris omnibus quotidie fere contingit, non quia aliquis adeſſet, qui haec ſtomachari poſſet; ad eam vero partem explanandam ἢ τῷ γένει ἕτεροι, ἢ τῷ ἑτέρᾳ ἢ τῷ ἕτερον numquam ſe contulit; itaque ſtatim percepi, operam me luſurum potius, ſi eius lectionibus interfuiſſem, quam ullam ex eis utilitatem me elicere poſſe; conſtitui igitur hanc mihi lectionem ſatis eſſe debere: te vero facile ex his coniicere poſſe quidquid in ceteris partibus difficilioribus facturus ſit, pro comperto habeo. *Portius* vero ille Philoſophus initium ſuarum lectionum fecit ſex. Id. Novemb. maximo omnium concurſu; eius vero oratio tendebat ad meteora *Ariſtotelis*; quum autem finem feciſſet, a plurimis reclamatum eſt *anima, anima*, coactus itaque aegre, tertium de anima adgreſſus eſt; eiuſmodi vero illius fuit oratio, ut minime hominum exſpectationi reſponderit. *Quiricus* autem tuus conſtituerat, quemadmodum certiorem te feci, interpetrari VIII. ethicorum; quia tamen *Lazari* adventus heic quotidie increbreſcit, adhuc initium non fecit, ſed primum Iliadis tantum interpretatur, mediocri admodum concurſu. Ego vero non parvas quotidie cum *Remigio* denique habeo concertationes; publice vero, niſi paucula quaedam, ei adhuc contradicere non auſus ſum, dicere enim, aliis tacentibus, quam inexperto difficile ſit, minime te fallit. Res denique meae

 in

in dies melius, quam ſperarem in principio, mihi ſuccedunt; ille vero in Poſterior. Analyt. omnibus quidem, & mihi in primis ſatisfacit, id quod etiam in Phyſica auſcultatione contingebat: ita tamen quorumdam invidorum perfidia factum eſt, ut hodie mandatum a Principe habuerit, ut ei omnino ſuperſederet, & λογικῇ πραγματείᾳ tantum incumberet, quod maxima eum moleſtia adfecit; id autem adhuc ipſe non video, maiorem ne mihi utilitatem adlaturum ſit, an detrimentum; perſuadere tamen interim illi conabor, ut mihi commentarium περὶ ἑρμηνείας interpretetur, ſi adſequi potero, & comitem mihi reddere adgrediar *Hieronymum* (1) noſtrum, quod tum mea cauſſa facio, tum etiam ipſius; non enim parum eum me incitare poſſe confido. Cura ut valeas, & me, ut amas, ama. Piſis IV. Id. Novemb. MDXLV.

XVI.

IDEM P. VICTORIO S. P. D.

Reddidi literas tuas poſtridie quam a te adceperam, *Remigio*, viro mehercule omnium, te ſemper excipio, humaniſſimo, quibus ab eo perlectis ſummam benevolentiam, mirumque erga me praeſetulit amorem, totum denique mihi ſe praebuit; itaque profuerunt, id quod etiam in dies magis magiſque ſentio, mihi in maio-

(1) *Is eſt Hieronymus Meius, de quo ſuo loco diſſeremus.*

maiorem modum literae tuae. Gratulor tibi igitur, te maximum in me beneficium praestare potuisse. Ego vero tibi, cui tantum debeo, laetor, quotidie aliquam mihi se offerre occasionem plurimum debendi; id enim, quum aliud non possim, magnopere cupio. Ille vero mihi ad te literas dedit, quibus te rogare ex ipsius verbis animadverti, vehementerque flagitare ὄργανον illud, quod istic domi meae mea est negligentia; quare scripsi ad meos, ut ad te quamprimum deferrent, ut si tibi videretur, ei gratificari posses: quod abs re, ut opinor, minime foret; quum enim eadem e meo libro elicere eum posse illi adfirmarem, percepi librum potius, quam emendationes ipsas eum desiderare. Legit autem Poster. Analyt. & quod minime voluissem τὴν φυσικὴν ἀκρόασιν; omne etenim studium suum in hac lectione ponit, & valde ἀμελῶς, ut ipse etiam profitetur τὴν ἀποδεικτικὴν interpretatur: adcedit, me facere non posse, quin utrisque adsim lectionibus, & aliquid etiam temporis in ea προτέρον καὶ ὕστερον animadvertenda, si ita loqui licet, amittere, id quod instituto meo non parvo est inpedimento, omnino tamen operam me non lusurum confido. *Robortellus* autem tuus legit *Aristotelem* περὶ Ποιητικῆς, quem ego quidem nondum audivi; in ea vero apud eruditos est opinione, ut adfirment hac in re, sicut in aliis omnibus, ita enim aiunt, plurimum sibi adrogare,

gare, quem quum audivero, quidquid ex eo te dignum elicere potero, tibi cumulate ſignificabo; arbitror tamen magnum mihi laborem id non adlaturum; audiam etiam, quum per occupationes licuerit *Quiricum Strozzam*, qui, ut tu mihi etiam praedixiſti, interpretatur octavum Ethicorum, ut tibi quidpiam ſignificare poſſim. Ego ſane adhuc optime valui, & ut mihi videor, aer heic plurimum mihi convenit. Piſis Prid. Non. Novemb. MDXLV.

XVII.

LEONARDVS TANCIVS P. VICTORIO S. P. D.

Quo tempore Florentia diſceſſi, non ſatis mihi conſtabat rerum mearum exitus quis futurus eſſet, idque in cauſſa fuit, cur te inſalutato, quod alias minime decuit, Romam conceſſi. Scito igitur me tam bonis, ut puto, avibus anchoram ſolviſſe, ut mihi videar litaſſe Neptuno. *Nicolaus* enim *Rodulphus* ampliſſimus Cardinalis me non prius vidit, quam perbenigne in familiam ſuam adſcivit, quippe dato mihi in patrem *Donato Giannotto*, quem ſibi loco fratris habere adſeverabat, nepotis mihi locus ex fratre relinquitur; vide quam nequeam conatibus meis non gratulari. *Donatus* hic fortunae meae prora & puppis te plurimum diligit, colit, obſervat; quumque in tui mentionem, quod ſaepe fit, aliquando incidiſſemus, deſiderat enim

enim vehementer rhetoricen aliquando tuam legere, mihi visus est adfirmare, te solitum quandoque ad eum scribere, rem prorsus mihi gratissimam. Spero enim, si provinciam istam recipias, ut me sibi tuo nomine commendatissimum habeat, & testimonio tam gravi mediocrtatem meam augere volueris, futurum esse, ut non parum mihi adiumenti adferas, ut enim ille acer, qua est singulari humanitate praeditus, & per se currat in mea vota, si tamen horteris, fortius iturum arbitror; equis enim etiam currentibus adclamatio solet addere velocitatem. Istum igitur officium, etiam atque etiam rogo, ne deseras; ego enim, si quid est, quod tibi mea opera confici possit, vel erit in posterum, nihil umquam refugiam, idque non vulgari dicacitate polliceor, sed ingenuo ingenio praestabo. Verum te proculdubio studiis occupatissimum longius non detinebo. Interim *Angelum Guicciardinum* meum inter alios patronum salvere iubeo. Tu vale, & me ama literarum columen, & decus Patriae. Romae Kal. Ianuariis MDXLVI.

XVIII.

HIERONYM. SCHREYBER NORIMB. P. VICTORIO S. P. D.

Aliquot iam menses elapsi sunt, vir clarissime, ex quo literas tuas verae humanitatis, & amoris in me plenas adcepi; & quidem ad eas

iam

iamdudum, respondissem, nisi commodi alterius internuncii occasionem exspectare voluissem, ut vel ea ratione meis plus adcederet gratiae. Neque id te consilium meum inprobaturum spero, quem scio animo vere philosophico, non tam ea communibus his mutuis officiis, quam ipsorum animorum, & quod omnium longe maximum videtur, studiorum, totiusque vitae coniunctione aestimare; eam ob caussam non ero longior in mora hac qualicumque magis anxie excusanda, sed ad rem ipsam venio. Natalis tui tempus mihi gratissimum fuit, qui aliquot iam annis soleo conligere talia diligenter, non quod magnam illis prognosticis fidem habeam, sed quia naturae & ingeniorum diversitatem in variis exemplis considerare iucundissimum est, cuius varietatis ratio sine dubio ad superiorem aliquam, & minime materialem caussam referenda est, quidquid sit de superstitiosis praedictionibus ceteris. Literas tuas ad amicos quosdam miseram, qui *Wolfango Werter* traderent; sed ille paullo ante in Gallias abierat; eo postea missas, & omnino redditas esse mei responderunt. Qui vero fiat, quod ipse nondum respondeat, ignoro. Fuit Venetiis diebus praeteritis *D. Miniates* Florentinus, Frater Ordinis de Monte Sacti Oliveti, tibi ut audio, optime notus; eum multis de caussis adloqui cupiebam, sed quum quinta huius mensis die, eius invisendi caussa, Monasterium

sanctae

Sanctae *Helenae* adcessissem, ipse eodem die mane discesserat. Ita subito conversandi cum illo, variisqne de rebus interrogandi omnis erepta est occasio. Quod si apud vos nunc est, ut spero, Florentiae, eum meo nomine amanter salutabis, & rogabis, ut per ocium ad me scribat, ut quod coram nos fortuna noluit agere, per literas interim conemur, donec aliqua nos iterum coniungat occasio. Ego enim, Deo favente, anno sequenti versus Gallias proficiscar, sed vos prius, siquidem sanitatem, & vitam concesserit Omnipotens, invisam. Novarum rerum, siquid scire voles, ex hoc viro audies, qui recens iam venit ex Germania, eo tantum, ut viros eruditos passim per italiam videret; eum tibi non commendo prolixius, quod sciam te sponte studiorum, ac virtutis sectatores liberaliter iuvare. Bene, ac feliciter vale, vir doctissime, & me amare non desine tui certe nominis, quoad vivam, studiosissimum. Raptim Patavii XIIII. Kal. April. MDXLVI. Salutem tibi adscribere iussit *Cornelius Gittardus*, qui hodie hinc iter parat versus patriam.

XIX.

AMBROSIVS NICANDER P. VICTORIO S. P. D.

Ioannes Gondula utriusque nostrum amicus, tuique studiosissimus, ostendit mihi particulam

literarum ad se *Ioannis Bulgarini*, in qua ἐγκώμιον quoddam, quod ad te iampridem miseram graecis literis scriptum, iterum a me tuo nomine postulabat, cuius rei argumento *Demetrii* cuiusdam *Diodoti* ἀλιάσματα mittebat. Sed quum vellem id quod tantopere cupiebat facere, incidi in gravissimam πλευρίτιδα, qua Dei Opt. Max. gratia liberatus, desiderio eius caepi satisfacere. Mitto igitur ad te lapidis parii venerandae cuiusdam vetustatis exemplar fidelissime, & castigatissime descriptum, quem e Graecia ipsa advectum mercator quidam dono mihi dederat; sed fuit illud donum μινυνθάδιον. Nam ubi id Carporum Cardinalis rescivit, illico a me per literas enixe, ut ad se eum mittam, contendit, cui negare neque honestum, neque tutum videbatur: misi ergo ad ipsum lapidem aegerrime a me avulsum, cuius tibi formam, mensuram, characteres exactissime in hac charta descripsi; sed sunt quaedam minus mihi ibi intellecta, quae sunt versiculo xv. & XVI. ΕΙΣΤΟ Κ̄ Ε̄ L ΚΑΙ Ξ̄ Κ̄ L ΚΑΙ Η̄ Κ̄ L & in calce ΕΙΣ ΤΟ Θ̄ Κ̄ L quae tamen per te fieri mihi pervia cuperem. Quare scribe oro, quod sentias; tuum enim de hac re iudicium, Delphicum putabo responsum; sed & in *Demetrio Diodoto* illud me excruciat, ἀλίασμα ἐκ τᾶς διμήνου Καρνίου ἐξήκοντος πατᾶ. Vellem qui, & quare δικηνον dicat, per te certior fieri; te enim cui nihil esse in literis abditum, aut occultum

certo

certo ſcio haec facile enucleare poſſe non ignoro. Vale & *Bulgarino* meis verbis ſalutem dicito, tibi *Gondula* noſter ſalutem multam inpertit. Ancona Pridie Kal. Maias MDXLVI.

XX.

SEB. GRYPHIVS P. VICTORIO S. P. D.

Non ita pridem, quum in tui mentionem incidiſſemus, doctiſſime *Victori*, admonitus ſum ab homine utrique noſtrum amiciſſimo, graviter te conqueſtum eſſe, tuas in *Ciceronem* caſtigationes non ſatis diligenter emendatas ex officina noſtra prodiiſſe (1). Quare quum iam de iis denuo ad praelum revocandis animo agitarem; ne iterum in eumdem lapidem inpingerem, conſultius facturus videbar, ſi re adhuc integra, de eo te per literas facerem certiorem. Gratiſſimum itaque mihi feceris, humaniſſime *Victori*, ſi quum primum per occupationes tuas tibi licuerit, exemplar aliquod manu tua emendatum ad me dare non graveris: in quo fideliter imitando, nos eam & curam adhibebimus, & diligentiam, ut de noſtra in poſterum negligentia merito conqueri non poſſis. Quod ſi quid inciderit, in quo noſtra tibi opera uſui eſſe poſſit, velim me eum eſſe exiſtimes, a quo omnia viciſſim expectare & poſſis, & debeas. Interim, ut aliquod

 tibi

(1) *A. MDXL.* 8.

tibi animi non ingrati ſpecimen praeberem, libellos aliquot, minimis, ac non, ni fallor, inelegantibus typis per nos excuſos *D. Lucantonio Ridolpho* amico noſtro non vulgari ad te perferendos commiſi: quem, ut hoc oneris pro ſolita ſua humanitate alacriter ſuſcepit, ita & ſumma diligentia, fideque exequuturum non dubito. Id vero, quidquid eſt munuſculi, eſt autem ſane quam exiguum, tuaque amplitudine prorſus indignum, non tam ex rei pretio, quae tua eſt humanitas, quam ex animo offerentis te aeſtimaturum confido. Quid multos iam annos moliamur de omnibus in *P. Vergilium* commentariis emendatius, elegantioribusque typis excudendis, ex iis literis, quas ad *D. Aemilium Ferrettum* dedimus, hominem doctiſſimum, multiſque nominibus mihi coniunctiſſimum, facile poteris agnoſcere. Verum quum rem tam arduam ſine probatiſſimorum exemplarium praeſidio tentandam non exiſtimarem, cum doctorum omnium, tum tuam inprimis, quem acerrimum ſemper antiquitatis indagatorem fuiſſe adcepimus, hac in re opem mihi duxi inplorandam. Quare ſi quid hoc in genere nobis commodare queas, ſummam & a nobis privatim, & publice a ſtudioſis omnibus gratiam iniveris, ſi id, quidquid eſt, praeclaris hiſce noſtris conatibus non invideris. *Servium* iam, adhibitis pleriſque manuſcriptis exemplaribus non infeliciter reſtituimus. De *Aelio Donato* iam

iam desperare caepimus : ex paraphrasi *Tiberii Donati* duos adhuc libros manuscriptos desideramus, *Probi* nihil prorsus habemus, praeter exigua quaedam in eclogas fragmenta : quem tamen summis studiosorum omnium votis audimus desiderari : nec adduci possum, ut credam , reliqua eius scripta interiisse , quum plurima ex iis testimonia ab *Io. Pierio Valeriano* videam citata. Quae quum ita sint , omni hoc contentione a te peto, ita ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim, ut si quo ea aliunde pretio erui possint, eius me quam primum facias certiorem. Tantum enim abest , ut quidpiam gratuiti officii desiderem, ut vel libentissime quidquid aequum videbitur eo nomine sim persoluturus . Vale vir clarissime. Lugduni Kal. Iul. MDXLVI.

Excudimus nunc *Martialem*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Lucanum*, *Lucretium* , *Iuvenalem*, quos cum *Persio* , ad nundinas Augusti expediemus . Postea dabimus & omnia *Ciceronis* opera eadem forma; praeterea & *Titi Livii* decades cum *Polybio*, *Suetonium*, *Q. Curtium*, *Val. Maximum*, *Iustinum*, & eorum omnium te faciemus participem. Vale.

XXI.

XXI.

FRANCISCVS DAVANZATVS
P. VICTORIO DOCTISS. ATQ. OPT. S. P. D.

Quam memor, benevolusque sim tui, vel ex hoc cognoscere potes, quod etsi nihil a te mihi literarum remittitur, quum ad te scribo, tamen neque ad te literas dare nactus opportunitatem, neque meis de rebus te certiorem facere propterea desisto. Quod si in tanto meo amore, tantaque memoria illud non subvererer, ne meae te literae obtunderent, nihil profecto vel alacriori adgrederer animo, quam ad te saepenumero scribere, quamquam meorum quoque studiorum occupationes, nec paucae, nec modicae sunt. Illud autem miratus sum, & adhuc non mirari nequeo, quum ad te superioribus mensibus literas miserim, quibus amorem, & observantiam erga te meam incredibilem plane testabar, ne tamen verbum quidem ad eas abs te mihi responsum fuisse: praesertim quum tua summa humanitas, tuaque summa diligentia mihi satis perspecta fuerit. Ego Patavio discessi, & Ferrariam veni, ut heic manerem, propterea quod meorum studiorum rationes hoc potissimum postulare mihi videbantur. Nam quum mea interesset hoc anno libros *Aristotelis* περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, aliquem publice docentem audire, neque eos ibi propter depravatam illius Academiae consue-

ſuetudinem aliquis hoc anno interpretaturus eſſet; cognoviſſem autem Ferrariae eos *Vincentium Magium* virum, tum iudicio pollentem, tum doctrina ſatis excultum interpretaturum eſſe; nihil antiquius mihi fuit, quam me quamprimum in hanc urbem conferre; tametſi illius urbis commoditas, aeriſque ſalubritas, & ſuaves amicorum convictus conſuetudineſque, ut ibi remanere vellem, me non parum adhortabantur. Sed tam magnum eſt deſiderium meum, quo ad literarum ſtudia inflammatus ſum, ut hoc mihi propoſuerim, me nullas neque corporis commoditates, neque animi voluptates tanti facturum eſſe, ut eas ſtudiorum meorum utilitati anteponendas eſſe exiſtimem. Sin autem illud fieri poſſet, ut ubicumque tu eſſes, ibi ego poſſem alicui magni nominis Philoſopho operam dare, nihil equidem vel tam beatum, vel tam optatum mihi adcidere poſſe arbitrarer, quod cum hoc conferendum putarem. Tua enim ſumma doctrina tuaque diligentia cum ſummo in politioribus literis iudicio coniuncta, ita tenaciter in memoria mea reſidet, ut neminem in eo ſtudiorum genere vel praeſtantiſſimum virum audiam, qui te mihi non inferior eſſe videatur, quod certe non tam nimio amori tribuendum eſt, quam veritati. Quare nihil facere libentius ſoleo, quam in ſermonibus quotidianis, & coram quibuſcumque hominibus cum honorifi-

cen-

centiſſime de te loqui, tum etiam ſi opus fuerit tui defenſionem ſuſcipere. Igitur tantum de me tibi te polliceri velim, me omnibus in rebus, quae ad te pertinebunt, ita praeſtiturum eſſe, ut nihil operae, nihil diligentiae, nihil denique mihi ipſi parcam, dummodo tibi me inſerviturum eſſe intelligam. Neque mihi aliquid gratius unquam facere poteris, quam ſi meam in te fidem, meamque erga te benevolentiam quam diligentiſſime explorabis; ita enim haud vereor tibi compertum fore, me nullo ſimulationis, aut adulationis fuco, quem quantum fieri poteſt fugio, haec tibi polliceri. Quod reliquum eſt *Iacobo* tuo plurimam meo nomine te dicere ſalutem velim. Vale. Ferraria Pridie Eidus Novembris MDXLVJ. (1)

XXII.

PETRVS ARDINGHELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Quum te ſaepe inviſere conſueſſem, dum Florentiae manerem, ut aliquid tecum communicarem, in quo nonnihil dubii haberem, & ea, quae ignorarem, mihi explanares; nollem quum iam permultos dies me nunquam videris, & iſtinc diſcedere me velle tibi non adfirmarim, apud te in ſubſpicionem hominis negligentiae, & tuae erga me ſummae benevolentiae parum memoris, venire. Qua de re id ma-

(1) *Reſpondit Victorius IV. Kal. Dec. lib. 1. Epp. p. 19.*

maxime reformidans, etſi ea, qua ſupra omnes homines praeditus es, humanitate facilitateque talis de me opinio in mentem tuam venire poſſit, hos ad te paucos verſiculos, quam optime poſſem, ſcribere ſum adgreſſus, idque cum exercendi mei cauſſa feci, tum etiam, ut ſiquam de me malam, aut dubiam exiſtimationem haberes, malam, his literis omnino delerem, atque extinguerem, dubiam vero tibi clariorem, atque illuſtriorem redderem: ac primum, quibus in locis ſim, quidque agam ſcito. Quum Florentiae viderem Bacchanalia adeo languida, tacitaque eſſe parata, ut nullo pacto in dubium mihi venire poſſet, plus voluptatis, huc ſi proficiſcerer, quam iſtic ſi permanerem, me non eſſe capturum; paucis diebus poſtquam a publica lectione vacaſti, in Spicianum adcedere decrevi, ut huius temporis magnam partem honeſtioribus animi, & corporis remiſſionibus conſumerem. Itaque huc veni, ubi & lectiones, quas nobis publice expoſuiſti, quam optime poſſum, memoria repeto, & venationi, & aliis huiuſcemodi exercitationibus operam do, poſt paucos tamen dies Florentiam rediturus: ſiquid vero interea mihi adciderit in his lectionibus, quod ignorem, aut dubitem, te per literas certiorem faciam, quum optime pro comperto habeam, quae tua eſt humanitas, te non ſolum omnia, quorum declarationem tuam deſideraro, diligen-

tissime mihi esse explicaturum ; verum etiam mearum literarum errata, quae multa procul dubio erunt, adcurate castigaturum. Sed quum his literis nihil aliud habeam, quod ad te scribam, finem dicendi faciam, si hoc tantum addidero, me te optime valere vehementer cupere, & quomodo res, quae ad inpressionem tuae Rhetoricae pertinent, se se habeant, scire. Vale, ac me, ut semper fecisti, unice ama. Dat. e Spicciano Kal. Febr. MDXLVII. (1)

XXIII.

FRANCISCVS DAVANZATVS P. VICTORIO S. P. D.

Quum quiddam in praesenti evenerit, in quo tua mihi utendum sit opera, hoc equidem quod optabam scribendi argumentum praetermittere nullo pacto volui. Id autem quid sit, iam cognosce. *M. Antonius Antimachus*, vir cum latine bene eruditus, tum in graecis literis ita versatus, ut nullam aliam nosse linguam videatur: quum eas heic multos publice docuisset annos, tandem senectute confectus, ut id muneris deponeret, suae aetatis rationem postulare arbitratus est. Sed ardens eadem adhuc, qua prius, literarum studiosos adiuvandi cupiditate, constituit quidem librum, quem περὶ τῆς ἑρμηνείας *Demetrius Phalereus* scriptum reli

(1) *Victorii responsum Dat. Non. Febr. legitur lib. 1. Epp. p. 29.*

reliquit, latinum facere. Quum autem eam rem egregie se praestare sine aliquo emendatiore codice, iis, qui veteris sunt inpressionis, non posse intelligeret, adcepissetque a me, te eum librum quinque ab hinc circiter annis istic formis fideliter excudendum curasse, ac publice deinde fuisse interpretatum: quoniam quantum tu veterum scriptis in suum pristinum restituendis splendorem, recteque intelligendis valeas, ipse non ignorat; a me etiam atque etiam petiit, ut & unum eius auctoris exemplar ex iis, quae supra dixi, nec enim ea heic venalia reperiuntur, sibi compararem, & si alias, praeter eas quae sunt una cum libro per te divulgatae, castigationes haberes, ut eas a te exigerem, sibique traderem. Se, si hoc gratum sibi feceris, non vulgarem, neque mortalem tibi relaturum gratiam, sed eiusmodi pollicetur, quae omnibus in diuturnum fortasse tempus mortalibus huiusce tui erga se beneficii testimonium factura sit. Cui cum pro eius doctrina, & probitate, tum pro ea, quae cum ipso mihi intercessit necessitudine satisfacere cupiens, promisi me omnem operam quam diligentissime daturum esse, ut tu hac in re, quantumcumque posses, ei commodares, meque id tua inprimis fretum humanitate, & in me benevolentia navaturum, & effecturum esse confidere. Quamobrem totam volui hanc tibi rem significare, non tam,

ut meum erga hominem officium extaret, quam ut parva cum tua moleſtia, & ſine ullo, ni mea me fallit opinio, incommodo, tibi amicum minime contemnendum conciliarem. Mihi quidem pergratum feceris, ſi praeſtiteris, ut vir hic intelligat, & me tibi amicum eſſe, & meas apud te literas aliquid habuiſſe ponderis. De tuis partis laboribus quid denique egeris, quum multos menſes nec abs te, nec ab alio nihil cognoverim, me ſollicitum eſſe ſcito. Vale, & me ama.

Ferraria Kal. Aprilis MDXLVII. (1)

XXIV.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Quum antea ſubvererer ne propter maximas tuas in ſtudiis literarum occupationes, ſi nimis ſaepe ad te ſcriberem, tibi moleſtus eſſem, omnis mihi praeciſa eſt dubitatio, lectis tuis literis amantiſſime ad me ſcriptis. Quanti enim facere me putas, illud quod eſt in prima parte epiſtolae tuae? = quare te, hoc ſcire volo, tuas mihi ſemper literas, quibuſcumque de rebus ſcriptas gratiſſimas fore = Equidem ſic velim tibi perſuadeas, idipſum gratius, iucundiuſque mihi adcidiſſe, quam ſi ipſas tuas in *Demetrium* caſtigationes, quas tam magna contentione a te petieram mihi miſiſſes. Qua in re excu-

(1) *Reſpondit Victorius XVI. Kal. Mai. lib. 1. Epp. p.* 22.

excuſationem tuam, cur mihi morem non geſſeris, qua ita humaniter erga me uſus es, facile, & libenter adcipio, ſi tu eius auctoris non ſolum nonnullas obſcuriores ſententias, ut in aliis facere conſueviſti, ſed etiam integrum librum in latinum ſermonem convertiſti: ſin minus, non video profecto, quid ea tuae exiſtimationi res obfutura fuiſſet, ſi de iis ei commodaſſes, qui quidquid in eo exemplari corrigeret, id omne tua opera, tuaque in ſe benignitate perfeciſſe fateretur; atque etiam in ſuis ſcriptis non ſine magna tuarum virtutum praedicatione tui nominis mentionem facturus eſſet. Hoc autem quin ex illa priori mea epiſtola colligeres, non vereor; quum eum pares tuo beneficio gratias ſe tibi relaturum mihi pollicitum eſſe, tibi adfirmarem. Attamen, ut ut res ſe habeat, tua humanitate fretus, adduci non poſſum, ut credam, te niſi valde iuſta cauſſa, quae tamen me lateat, inpulſum, meae petitioni minime ſatisfeciſſe. Liber autem Τοῦ Δημητρίου περὶ ἑρμηνείας, quem mihi miſiſti, etſi non alia de cauſſa, hac tamen, quod a te veniret, mihi gratiſſimus fuit. Nec velim te admirari, me in eo deceptum eſſe, quod crederem, te id exemplar, antequam formis excudendum curaſſes, mendis expurgaſſe: nam & hoc veriſimile mihi videbatur, & quo tempore iſtic de eo inprimendo agebatur, ego in Galliam profectus ſum;

ut

ut nec Florentiae adesse, nec te eum interpretante, interesse potuerim. Sed de his hactenus. Tu si aliquod in meis epistolis, aut τῆς ὀρθογραφίας, aut alius cuiuspiam rei ἁμάρτημα, quod vel inprudentia, vel mea fortasse inscitia commissum esset, deprehenderis, id, qui tuus est in me amor, rogo te, vel ὀβελίζῃς, vel emendes: ne si illae aliquando in aliquorum manus, qui sint in reprehendendo severiores, incidant, me male fortasse in ea re adcipiant. Cura ut valeas, & ad me, quantum tuae occupationes ferunt, tam saepe scribas.

Ferraria IV. Idus Maii MDXLVII.

XXV.

LEONARDVS TANCIVS P. VCTORIO S. P. D.

Gratulor tibi, mi *Petre*, quod ea sis & doctrina & morum elegantia, ut qui te semel utuntur familiariter, divelli nulla loci distantia a tuo amore, nulla amplius fortuna, memoriam tui nominis oblivione delere possint; id ego, praeterquamquod in me ipso experior, de quo in praesentia nihil attinet dicere, facile etiam perspicere potui ex summa in te benevolentia, quam omni oratione significat Reverendiss. tuus, idemque, absit adulatio, quavis laude dignissimus *Nicolaus* Cardinalis *Ardinghellus*, apud quem superioribus diebus quum coenarem in hortis *D. Agathae*, sum

ſum illi certus conviva, ex quo hunc locum incolit, cuius mihi curam demandavit Reverendiſſimus Cardinalis *Rodulphus* Dominus meus, Roma diſcedens, in primis nobis ſermo, iſque multus, de te fuit; multa interrogat univerſe, illud proprie, quam crebras ad te literas dare ſoleam: reſpondentem me ſemel tantum ſcripſiſſe, ut Romam veni, graviter reprehendit, ac quaſi *Cynthius* alter, aurem vellit. Excuſo, *Victorium* non eſſe ex conſuetudine aliorum aeſtimandum, ſed uſque adeo remotum natura, vel ſingulari quadam doctrina potius, ab inanibus caeremoniis, ut apud eum valde offendat, qui quacumque captata occaſiuncula ſcribat: ad haec ille perbenigne, ut ſolet omnia, duce ſe, mihi praebiturum argumenta reſpondit; primum, ut te de eius in te voluntate certiorem faciam, ſive potius te iam de illa certiſſimum confirmem; de qua ſic tibi perſuadeas velim, ſic iudices, eum veteris neceſſitudinis gratia tibi coniunctiſſimum, plurimum quoque intelligere, ac profiteri eo nomine ſe tibi debere, quam quod in te ſemper extitit amoris erga illum, id omne in *Petro* eius fratris filio ornando oſtendas, animum profecto pluſquam paternum in eum gerens; quamobrem gratias tibi ingentes agit, iubetque his literis, hoc tibi teſtatum relinquam, nullum ſcilicet neque officium neque ſtudium eius deſideraturum te ubivis; etſi

multo

multo notior, atque illustrior eius in te animus esset, si una Romae essetis, quo, mihi crede, nihil ei optatius. Venio nunc ad alterum, quod tecum agere iussus sum. Libri Politicorum *Aristotelis*, quibus ille, quantum licet per maximas occupationes, hoc ipso tempore operam impendit, adeo corrupti habentur, ut sine copia meliorum Codicum intelligi non facile possint. Tu vero, ut ille persuasissimum habet, librum tuum cum vetustis exemplaribus conlatum, plurimis purgasti mendis, quocum si alium eiusdem typi, & inpressionis contuleris, atque ad eum perferri curaveris, per illi gratum feceris; quod si istud quidquid est oneris possit illi tua fortasse occupatio denegare, neque enim me fugit quantus sit labor absolvendi ea, quae in libros *Aristotelis* de arte dicendi conscripsisti, aliaque studia, vix tibi capiendi cibi ocium relinquant, amabo te, confice, ut illius voluntati saltem per alium satisfiat; cui ut me obsequi velle intelligat, hunc ipsum librum manu *Marsilii Ficini* exaratum, nonnullisque adnotationibus illustratum, quem istic habere soleo, libenter illi obtuli. Sed haec hactenus: scio, cui scribam. Vale, & de me sic adcipe, nihil esse, quod non tua caussa velim.

Ex Vrbe x. Kal. Sextilis MDXLVII.

XXVI.

XXVI.

FRANCISCVS DAVANZATVS P. VICTORIO S. P. D.

Quam magna virtutis ſit vis ex hoc vel facile intelligi poteſt: *Antimachus*, vir integris non minus moribus, quam bonis ornatus literis, quum ſuperioribus diebus quaedam ex tuis explicationibus, quas in *Ariſtotelis* περὶ τῆς ῥητορικῆς libros a te compoſitas nuper in lucem edidiſti, legiſſet, doctrinam iudiciumque, quo, illae conſcriptae ſunt admiratus, tam magno tui incenſus eſt amore, ut poſt illarum lectionem, ſtatim ad epigramma illud graecum, quod a me tibi miſſum te adcepiſſe nuper ex tuis literis intellexi, in tuam laudem ſcribendum ſe contulerit. Hoc quidem eruditio tua in *Antimacho* effecit; contra vero illius ingenium, & non incultum, ut arbitror, epigramma, te ita, ut ex tua epiſtola coniecturam facere poſſum, adfecit, ut hominem, quamvis tibi penitus ignotum, amore tamen proſequi coactus ſis. Nam nullis provocatus a me literis, a quibus quidem abſtinueram, ne tuas aures obtunderem, dediſti ad me tuas, in quibus mirifica quaedam, non modo grati, verum etiam benevoli erga ipſum animi veſtigia extitere: ita factum eſt, ut qui ne de facie quidem inter vos noveratis, mutuae virtutis amore, vel ex longo locorum intervallo, in amicitiae vincula conceſſeritis. Ego vero, ut tu mihi

mandasti, & gratias illi tuo nomine diligenter egi, & te ei pro iis benevolentiae suae erga te signis, quae tibi ostendit, non parum debere, significavi. Sed qui meus est in te amor, & observantia, maximopere tibi, mi *Victori*, gratulor, qui tamquam alter Hercules, tot monstris, charybdibus, & hydris, quae opus illud tam egregium divini Philosophi a paucis adiri sinebant, victis; totque mendis, sordibusque, quae illud occupaverant, dilutis, ita planum, nitidumque reddidisti, ut ab omnibus iam, qui illius scientiae desiderio tenentur, tractari, & facile intelligi possit. Nam id te latere nolim, istas tuas vigilias ita ab iis, qui heic sunt, doctissimis viris probari, ut a cunctis uno ore laudibus in caelum efferantur. Vale. XVI. Kal. Febr. MDXLVIIII.

XXVII.

IACOBVS LAVREVS P. VICTORIO S. P. D.

Facit elegantia tuorum scriptorum, quibus quotidie fere damus operam, & iucundissimae consuetudinis suavitas, quae ad nos perfertur, ut non verear id per literas tecum agere, quod mihi omnium esset hoc tempore gratissimum. Cuius mei facti audaciam, non enim appello inpudentiam, si rei ipsius, quam petimus, aequitate metitus fueris, nihil me tibi temere scripsisse existimabis; praesertim quum te

te talem naturae tuae integritas effinxerit, ut etiam non petentes ſtudiorum officiorumque tuorum magnitudine tibi devincire ſoleas. Res eſt eiuſmodi. Quum puerilis aetatis partem, & adoleſcentiam prope omnem in Romanorum, Graecorumque ſcriptorum monimentis conſumſerim, meorumque laborum teſtes adſint doctiſſimi viri, & ii praecipue, quorum integritas, & doctrina tibi vehementer probatur; ornatiorem, tutioremque fore me putavi, ſiquem aditum ad honeſtiorem aliquam provinciam virtutis mihi tuae lux aperuiſſet. Nam quum heic decennium ſtudia mea, veluti tenebris ſepulta, iacuerint; propterea quod diutius opinione, puerilis aetatis moderatores fuimus, nunc tandem in lucem prodire iuſſimus, ita tamen, ut praeſidio tuo, ceterorumque tui ſimilium inniti debeam. Nuper e graeco in latinum vertimus *Aelianum* de varia hiſtoria, edendumque curavimus, quem libellum, niſi putarem ad vos perveniſſe, haberes domi, mei in te amoris, perpetuaeque obſervantiae indicium. Adiunximus ad hunc *Pindari* oden, non graecam, ſed heroicis verſibus conſcriptam. Quam quidem lucubrationem, ſi ad vos non perlatam intellexero, dabo operam, ut propediem perferatur. Sumus quotidie familiariter cum *Franciſco Robortello*; is operam mihi ſuam, & ſtudium pollicetur, puto diligenter facturum omnia. Tu tamen, cuius laus iampri-

dem in conspectu totius Italiae posita est, celerius, & commodius, si volueris, nam posse confido, rebus nostris prospicies. Quare a te maximopere pro singulari tua in omnes benevolentia, peto, & quaero, ut quoniam de Romanis, Graecisque hominibus praeclare meritus es, tuaeque liberalitatis magnitudine libenter omnes fruuntur; nos quoque auctoritate, & gratia tua conservatos velis: & si quam tibi Dii inmortales ornandi nostri occasionem obtulerint, non graveris me certiorem facere. Interim cupio ex te scire, quid sibi velit *L. Catilina* in iis literis, quas ad *Q. Catulum* dedit. Locus est = per liberos tuos rogatus, aveto = Quaecumque de his verbis senseris, omnium certissima putabo. Vale. Dat. Venetiis Pridie Kal. Martii MDXLVIIII.

XXVIII.

IO. EPISCOPVS NOVIODVNENSIS P. VICTORIO S. P. D.

Literae tuae, quo diutius a me fuerunt expectatae, eo mihi gratiores, ac iucundiores adciderunt. Sed tantum abest, ut ardens illa cupiditas, qua teneor videndi tui, sit per illas literas extincta, ut multo etiam fuerit accensa vehementius. Quocirca decrevi omnino, quum paullum ab inmensis occupationibus, quibus adsidue distineor, respirare licuerit, Florentiam me conferre, ut te, quem iamdiu absen-

tem

tem toto animo ſum complexus, coram intueri poſſim, & gratas audire, & reddere voces. Interim legendis tuis in *Ariſt.* rhetoricam commentariis me oblectabo. Qui quidem commentarii ita mihi probantur, ut nihil illis abſolutius fieri poſſe exiſtimem; nec quiſquam eſt omnino eorum, qui in *Ariſtotelem* aliquid conſcripſerunt, qui tibi, neque dicendi copia, neque ſubtilitate, & acumine diſputandi, ſit meo iudicio conferendus. Quamobrem, *Victori* doctiſſime, te magnopere hortor, ut quod in rhetoricen feciſti, idem etiam in reliquos illius Philoſophi libros praeſtes, & Peripateticorum diſciplinam, quae latinis literis nequaquam eſt hactenus pro dignitate tractata, tuis ſcriptis illuſtres. Poſtulant hoc a te bonarum literarum ſtudioſi, quibus tu deeſſe, quum tibi & ocium, & facultas abunde ſuppeditent, minime debes. Poſtulat patria tua, in qua quondam grecae, & latinae literae, iniuria temporum plane demortuae, revixerunt, & nunc maxime *Coſmi* optimi Principis virtute vigent. Da igitur hoc ſtudioſis, da patriae ipſi, & memineris, quae virtutis eſſe publicae utilitati conſulere. Vale, & me quibuſcumque rebus tibi uſui eſſe poſſim, ſcito ſemper promtum, ac paratum fore. Bononia IX. Kal. Iun. MDXLIX. (1)

XXIX.

(1) *Extat Victorii reſponſum XVII. Kal. Ian. lib. II. Epp. p. 33.*

XXIX.

SEBASTIANVS REGVLVS P. VICTORIO S. P. D.

Albericus Longus, vir ſingulari eruditione & bonitate praeditus, hac ad te tranſiens pro ſua humanitate me publice profitentem audivit, & apud me pranſus eſt, qui mihi quaerenti, cur nunc Florentiam iret, reſpondit, ſe a te accerſitum, iſtuc venire. Tum ego hominem ſtatim complexus, tantam ſum illi fortunam, tantum honorem gratulatus, qui & in iſta urbe, nunc. omnium bonarum artium ſtudiis florentiſſima, & tecum, & apud te, & a te vocatus, ſit commoraturus; tum ille, inquit, ſic eſt profecto, ut dicis, mi *Regule*; ego enim Ferrariae de doctiſſimis illis viris audivi, *Petrum Victorium*, eum unum eſſe, qui ſcriptis ſuis, oratione, pecunia & publice, & privatim, omni denique ſtudii, & officii genere bonarum artium ſtudioſos omnes proſequatur. Tum ego haec eadem ex multis Bononiae me audiſſe adfirmans, quam ſim in te ſingulari & animo, & officio expoſui; tibique me acceptum referre plurima, quae meis auditoribus ſingulis diebus interpretor, quos item ſermones de te, & de ſuperiore, & ex aequo loco habuerim, ac habeam ſaepe, tuique nominis auctoritate, ac fama nixus quam multa explicem, narravi, cuius rei teſtes inquam ſunt mei omnes diſcipuli. Tu vero *Auguſtinum Cot-*

tutium

tutium adolefcentem tui ftudiofiffimum, locupletiffimum teftem habes. Tunc addit *Albericus:* laudo te, mi *Regule*, qui tantum virum, tantum ames, voloque des ipfe ad *Victorium* literas, ac animum illi tuum declares. Facile me accenfum inflammavit, effecitque, ut has ad te mitterem mei in te animi, fummaeque obfervantiae indices, quas eo, quo mittuntur, adcipies animo, meque pofthac in tuorum clientium numero habebis. Non enim vereor, ne tu exiftimes haec tuis a me auribus dari; quippe qui te optime noris, omnium amore, ftudio, laude & obfervantia digniffimum, & qui te non amant, tuam iftam fingularem eruditionem fummae probitati coniunctam non admirantur, non colunt, non obfervant, eos invidos, malevolos, omnis humanitatis, & rationis expertes effe intelligas. Vale, & *Regulum* tuum in clientelam tuam quaefo recipias. Bononia IV. Idus Iulias MDXLIX.

XXX.

PETRVS ANGELIVS P. VICTORIO S. P. D.

Abhinc octo annos Venetiis quum effem, tuarum virtutum laudibus, quae paffim ab omnibus praedicabantur, ad te colendum, & obfervandum inflammatus, unas literas ad te dedi: quibus benevolentiam tuam, cuius ineundae ftudio & cupiditate quadam incredibili

ar-

ardebam, mihi conciliarem, id quod abs te nonnulli alii etiam ante me consequuti esse dicebantur. Sed, aut literae illae scilicet interciderunt, ac ad te nequaquam perlatae sunt, aut tu negotiis, & publicis, & familiaribus inpeditus, gravioribusque in studiis occupatus, ad eas rescribere numquam potuisti. Sed utcumque res ceciderit, ego certe, ne quotidie tibi molestus obstreperem, & eamdem, ut dicitur, cantilenam saepius canerem, expectandam mihi esse aliquam occasionem statui, qua, quod vehementer cupiebam, adsequi maxime possem; eam nunc me habere mirum in modum laetor: magnam vero partem tua esse effectum opera, ut habuerim, triumpho, & gaudeo. Nam praeterquamquod te eum esse non ignoro, cuius eruditioni, ac iudicio tantum a literatis hominibus tribuatur, quantum scilicet alii optare vix audeant, ut de eo heic deligendo, qui rhetoricam, & poeticam publice doceret, nihil nisi auctoritate tua confectum sit. Fuit etiam mihi renunciatum, te pro tua summa humanitate, & modestia, quum id abs te petitum esset, respondisse, non omnino indignum existimare me, ad quem hoc interpretandi munus potissimum deferretur. Id vero tuae humanitati, si datum a te est, gaudeo mihi tam iustam, ac paene necessariam scribendi ad te occasionem oblatam; sin autem tuo erga *Antonium* fratrem meum amori voluisti

id

id largiri, valde laetor, esse cur ego tibi duabus de caussis, & quidem maximis, & iustissimis gratias agam: una, quod *Antonio* tantum tribueris, quantum ne ille quidem abs te postulare ausus esset: altera, quod cum me esse tibi persuaseris, quem si non maxime commendandum, quod quantum in hoc genere possem perspectum non haberes; non tamen plane contemnendum esse duxeris. Hoc ego ita sum delectatus, nihil ut prius mihi faciendum esse decreverim, quum primum studia literarum prolata heic fuissent, quam tibi per literas gratias agere, petereque a te, quae tua est humanitas, mihi ut talem te inpertires, qualem iis, qui tuam amicitiam vehementer expetunt, praebere semper consuevisti: existimaresque me, qualis ego cumque sim, tibi totum esse addictum, & consecratum. Id quod cum privatim, tum publice superioribus annis, dum Regii literas profiterer & graecas, & latinas, saepissime sum testatus. Sed quoniam haec pro re nata ficta esse facile existimari possunt, quum occasio dabitur, efficiam profecto, ut intelligas huic quidem muneri doctiorem fortasse, diligentiorem autem, tuique magis obſervantem, praefici quidem certe potuisse neminem. Vale.

Pisis VI. Kal. Ianuarias MDL. (1)

(1) *Conf. Victorii responsum Epp. lib. II. p.* 41.

XXXI.

FRANCISCVS ROBORTELLVS P. VICTORIO S.P.D.

Quum de te in coetu honeſtiſſimorum, & doctiſſimorum hominum amantiſſime loquerer, ac de tua ſingulari doctrina meum illud quotidianum praedicarem ἄλλοι δ' ὡς σκιαί; ecce mihi adferuntur literae tuae refertae omni ſuavitate, quae me incredibiliter delectarunt, quod intellexi me a te mirabiliter amari, cupereque te amorem illum noſtrum veterem, quem iſtic ſemel ſuſcepimus non ſervare ſolum ſemper, ſed etiam in dies magis augere: ac inmortaliter ob hoc ipſum gaudeo, ſemperque gaudebo. Nam quod ego plurimi aeſtimo, iam a te habeo; tanti vero eſt, ut quum tuum in me amorem, maximis quibuſque honoribus, qui aut ſperari a me, aut expeti poſſunt, parem eſſe ſemper duxerim, omnibuſque utilitatibus facile antepoſuerim, nullum maiorem ex Etruria fructum, ac laudem reportaſſe videar, quam amicitiam tuam. Lectis igitur literis tuis, omnes, qui ibi aderant, quod liquidius de tua erga me voluntate iudicaſſent, adplauſerunt, quem ego plauſum omnium theatrorum vocibus, & ſignificationibus antepono; eſt enim eorum, qui me ſincere amant, & quibus, ob hoc ipſum, ante magis placere me intelligebam, quod tuarum virtutum eſſem perquam ſtudioſus. Suaviſſima vero mihi fuit recordatio

veteris nostri amoris, multo etiam suavior cogitatio, futurum esse hunc, quantum in te est; nam ego nihil magis opto, amorem perpetuum. Atque utinam mihi in istis locis diutius suavitatis tuae, & doctrinae fruendae caussa esse licuisset. Porro ad scribendum tua illa invitatio, quam blanda, quam fraterna, quam suavis? Homo non sim, nisi te in sinu semper feram, & in amore non modo respondeam, sed omni genere officii te ad me amandum provocem. At eris mihi quidem certe semper in sinu, neque discingar unquam, ac quando praesens istic tecum, ut ante, colloqui non possum, fruar cogitatione, & tuae humanitatis, & istius urbis, ac regionis totius simul amoenitatis, quae mihi in deliciis semper fuit. Haec ego a te invitatus magis, quam quod necesse putarem, breviter exposui de meo erga te animo. Nunc ad alia venio: orationem meam tam valde tibi placuisse, quod scribis, plane laetor. Mi *Victori*, me vide, siquid unquam in dicendo fui; sum enim natura ἀριστοκρατικώτατος, meque illud plurimum delectat ἄριστ' Ὀδυσσεῦ. Serius ad te rescripsi, non quidem propter occupationes, sed quia rumoris nescio quid adflaverat, mox a certis hominibus audieram, te legatum ivisse ad Pontificem Max. nec ante Kal. Apriles rediturum. Id cupio ex te scire, semper enim existimavi, optimum Principem vestrae reip. gratiam ali-

quam tibi repositurum pro tua maxima virtute. Quum Pisis proficiscens, Florentiam veni, nec te, nec *Laelium Torellum*, virum, Dii boni, summum, cui omnia debeo, salutavi, quod ita properabam, ut nihil egerim παρέργον ὁδοῦ, nec vobis in suspicionem venire debeo, aut negligentiae, aut superbiae; qua enim ratione, salvo officio, potuissem hoc facere? in vos praesertim, quibus propter singularem virtutem, & plurima in me merita, semper ero devinctissimus, & ad *Laelium* sane literas dederam, quod non putaram me Florentiam iter facturum. *Garbo* etiam mandaram, ut tibi meo nomine multam salutem: verum de his satis. Aveo scire, quid agat *Spinus* tuus, ut se oblectet; amo illum, ut fratrem, doleoque meae erga illum voluntati parem non fuisse unquam adiunctam fortunam. Tu mi *Victori*, saepe aliquid ad me, non enim vereor, ne literae nostrae hallucinentur. Ego magnum mihi ante pedes struxeram cumulum *Diodori Siculi*. Siquid egero, scies. Vale, & *Iacobo* filio tuo Iuveni eruditissimo meo nomine salutem. Venetiis Idibus Aprilis MDI.

P. S. *Paulus Manutius* haeic egregius habetur ludimagister in instituendis pueris: hypodidascalum etiam nactus est peritissimum. Vterque sellam habet cum pulvino. Sic speramus, Diis bene iuvantibus, optimum illud dicendi genus florere heic aliquando posse; & sane

ſane in illius officina viget illud *Iſocrateum*. παρὰ μὲν ἴῶν εὐφυῶν: noſti reliqua. Enimvero in hoc differt optimus magiſter ab aliis, quibus neque cor, neque lingua (1).

XXXII.

IACOBVS LAVREVS P. VICTORIO S. P. D.

Antea miſiſſem ad te *Aelianum* de varia hiſtoria, quem nuper e graeco in latinum a nobis verſum edidimus, ſi te huiuſmodi munuſculis oblectari certo ſciviſſem. Quum vero ex *Franciſco Robortello* tui ſtudioſiſſimo didicerim, te familiariſſime libello hoc uti ſolitum, plurimumque hac rerum varietate refici, dedi confeſtim operam, ut is ad te perferretur, eoque libentius, quod idem *Franciſcus* quaeſivit ex me, num ad eas literas, quas ad te proxime dedimus *Aelianum* adiunxiſſem. Vide quaeſo quanti te faciat homo doctiſſimus, neque mehercule iniuria. Nam & in conſuetudine quotidiana ſingularem humanitatem tuam, & in iis, quae conſcripſiſti, voluminibus mirificum ſe ingenium tuum fatetur agnoviſſe, idque omnibus etiam audientibus praedicat. Quum igi-

(1) *Vid. Victori Ep. ad Robort. Epp. lib. II. p. 37. quae inc. = Legi orationem tuam, Robortelle cariſſ. quam habuiſti iſtic prid. Kal. Nov. quo die iuventutis iſtius erudiendae fundamenta ieciſti, ac libenter quidem legi &c.*

igitur negassem aliquid mihi eiusmodi in mentem venisse, sane visus est graviter ferre, quippe qui, quantum coniectura adsequi potui, maluisset meas tibi literas, praesertim quum nullae antea extitissent, graves reddi, quam inanes. Mitto igitur ad te *Aelianum*, atque ita mitto, ut initio mea sponte missurus sim, si quod scriptorum meorum genus probandum statuissem; quoquomodo autem a me latinum factum animadverteris, obses erit fidei meae, & perpetuae erga te observantiae. Nos quidem in eo praecipue elaboravimus, ne dum nimis Romane loqui volumus, a scriptoris voluntate discederemus. Quod si adsequutus sum, gaudeo; sin minus, obtrectatorum voculis, & tacitis admurmurationibus locum operuimus; qui quum eiusmodi sint, ut etiam in optimos viros iniqui sint, iudices longe acerbiores, se data vel minima detrahendi occasione praestabunt. Quorum ego sermones iampridem testimonio *Ioannis Bernardi Feliciani*, & *Francisci Robortelli*, nunc vero tuo munitus, nihil est, quod pertimescam. Insurgens virtutis meae opinio, quam tamen exiguam, & prope nullam esse sentio, deleri, aut labefactari non poterit, si tu, tuique similes nos tuendos ornandosque susceperint. Quod ut facias, etsi abs te superioribus literis acerrime contendi, ignoscas tamen velim *Aeliano* meo, si quid eiusmodi verecunde sane non dubitarit petere.

De-

Decem, & amplius annos privato, obſcuroque docendi labore paene oppreſſi, honeſtiori provinciae praefici cupimus, ut ſordido vitae genere exſoluti, ad graviora ſtudia animum adplicemus, id quod fore confido, ſi tua me auctoritas complectendum, fovendumque putarit. Vale. Datum Venetiis Idibus Maii MDL. (1)

XXXIII.

IDEM P. VICTORIO S. P. D.

Vix tandem quum incidiſſem in *Franciſcum Strozzam*, cui meas ad te dederam literas, intellexi id, quod vehementer ſcire cupiebam, eas tibi redditas eſſe, non quod de hominis diligentia, aut erga me ſtudio dubitarem, ſed quia verebar, ne honeſtiſſimae legationis munus te a Florentia diſtraxiſſet, ibique eſſes, quo aliorum quoque Principum conſenſu inſignes viri hoc tempore convenerunt. Audivi, igitur te nondum urbe deceſſiſſe; parare tamen ea, quae ad iter faciendum idonea ſunt, quod ſi ita eſt Αδρηστειά τε φυλάσσοι σὲ ἡ πολλοὺς ψευσαμένη νέμεσις: quae in te poſita ſunt, animi magnitudinem, ſingularem prudentiam, & egregiam in tractandis rebus ſolertiam tibi non defuturam confido. Quorum vero caſus, & fortuna imperium habet, eorum quidem impetum aliquando conſilio noſtro perfrin-

gi-

(1) *Reſpondit Victorius IV. Kal. Iun. 1550. Epp. lib. II. p. 36.*

gimus; plerumque autem, inruente ictuum vi, oppressi in mediis negociis concidimus. Quare caelesti cura, & superiore Providentia muniti, & bellissime navigamus, & diuturnis laboribus perfuncti, denique optatissimi portus quiete perfruimur. Tibi igitur Dii inmortales, id, quod instituisti, fortunent, ut praeclare gesto Magistratu, una totius Italiae praedicatione excipiaris. Mihi te adhuc non scripsisse non miror, quando legatione impeditus, iam de discessu cogitas. Adcipio voluntatem tuam, eaque contentus tamdiu me ipsum substentabo, quoad in patriam reversus, me quam brevissima schedula non indignum putaris. Nam etsi laborum tuorum fructus adparent uberrimi, monimentaque tua doctorum hominum opinionem vicerunt, siquid tamen manu tua ad nos scripseris, praecipuum te mihi beneficium dedisse existimabo. Extulerunt me mirifica laetitia literae tuae, quas superioribus diebus *Franciscus Robortellus*, optime de nobis meritus, legendas dedit. Nam ad singularem elegantiam, & Romanum candorem, quem nunc vere recognovi, & admiratus sum, adcedebat indicium non mediocre summae cuiusdam humanitatis, & benevolentiae erga eum, cuius eximia doctrina Pisanam Academiam ornatam & auctam esse credimus. Haec quanti me facere putas? praesertim quum *Francisco Robortello* ita devinctus sim, ut nihil

con

coniunctus esse possit. Quare a te, *Victori* mi, peto, & quaeso, non pro mea erga te benevolentia, vel potius pietate, sed pro iam confirmata liberalitate tua, ne me diutius tuarum desiderio confici patiare, id quod erit, si ζητήματα mihi illa, de quibus proxima epistola tecum egi, aliquo scriptorum tuorum genere persolveris. Vale & me ama. Pridie Kal. Maii MDL. Venetiis.

XXXIV.

BERNARDVS CARD. MAFFEVS P. VICTORIO S. P. D.

Perbelle tu quidem, & acute, qui quum meam aliquam epistolam elicere cuperes, eiusmodi scribendi argumentum delegisti, quo non minus invitari possem ad rescribendum, quam summa literarum tuarum elegantia deterreri. Quamquam sane quo maiorem & latine scribendi laudem mihi tribuis, & literarum mearum expectationem tuam esse ostendis; hoc iniquiorem respondendi conditionem mihi a te propositam esse intelligo, qui quum nulla sum dicendi facultate praeditus, tum vero hoc exercitationis genus intermisi iamdiu sic, ut alias omnino res agam. Quare tu rationem tantummodo officii in respondendo mei spectes velim, nihil praeterea requiras. Nam quod mihi veterem gratulationis laetitiam renovas, commemoratione honoris, & dignitatis amplissi-

ſimae, qua iampridem ornatus fui, ſingulari quadam, & eximia *Paulli III.* Pont. Max. benignitate, atque liberalitate, ſummoque item *Alexandri Farneſii* erga me ſtudio, ac voluntate, equidem animum iſtum tuum libentiſſime amplector, cuius laetitia, & voluptas tanta videtur extitiſſe, ut quum poſtea Romae aliquando me conveniſſes, multaſque horas mecum fuiſſes, tamen longo etiam poſt intervallo, aliquod eius laetitiae teſtimonium in literis ad me tuis extare volueris. Sed profecto nihil mihi laetius, nihil optatius ex ipſis literis tuis adcidere potuit, quam quae de ipſius *Alexandri Farneſii* ſtudiorum curſu, & ratione perſcribis, illudque praecipue, eum te in iis duce, & magiſtro uti. Etenim cetera, quae de praeſtanti eius ingenio, illuſtrique natura exponis, etſi mihi magnae voluptati fuerunt, tamen erant illa mihi iampridem cognita maxime, atque perſpecta; tantum optabam in his humanitatis, & literarum ſtudiis, ut aliquem haberet, qui eruditionis, ſcribendique laude, & gloria antecelleret, quod ei tam commode oblatum eſſe, vehementer laetor; facile enim mihi ſperare videor fore, uti praeclarum eius ingenium ſic a te quaſi ager quidam optimus colatur, ut quae ei & doctrinae, & eloquentiae ſemina mandaveris, haec eiuſmodi ferant fructus, qui vel ampliſſimam eius dignitatem, ſecundaſque res ornare, vel ad-

ver-

verſis etiam ſolatium, ac praeſidium maximum adferre poſſint, quod quidem incredibili me voluptate adficit: cui enim omnia debeo & fortunarum, & dignitatis ornamenta, eum omnibus non ſolum corporis, & fortunae, verum etiam animi bonis abundare inprimis cupio: ſed hactenus ad epiſtolam tuam. Quod vero tu pridem Roma diſcedens mihi pollicitus es, non pauca in *Plautum*, & in alios latinae linguae probatos auctores ad me miſſurum eſſe, promiſſi illius tui te idcirco admonendum ſtatui, ut intelligeres, & me, idipſum ut praeſtes, exoptare, & omnia, quaecumque miſeris ingenii, ac ſtudiorum tuorum monumenta mihi cum ad legendum iucundiſſima fore, tum etiam ad literas, quales in te ſunt, ideſt reconditas, interioreſque cognoſcendas longe gratiſſima. Vale, teque a me plurimum amari exiſtima.

Roma XIII. Kal. Ianuar. MDLI. (1)

XXXV.

FRANCISCVS ROBORTELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Etſi non dubito quin pro tua ſingulari humanitate, & praeclara in omnes doctos voluntate, *Cornelius Doncellinus* iuvenis optimus, atque

(1) *Victorii literae ad Cardinalem datae ſunt III. Eid. Dec. MDLI.*

atque ſcientiarum omni genere non quidem tinctus, ſed plane imbutus, qui iſtic iam multos menſes fuit, tibi cariſſimus ſit; volui tamen has ad te literas dare, ex quibus intelligeres, illum mihi longa conſuetudine coniunctiſſimum eſſe, meque illius cauſſa, omnia velle. Si me igitur amas, mi *Victori*, quantum & ego te amo, & me a te amari confido, effice, oro, ut mea hac commendatione, officia tua erga ſe multo cumulatiora *Cornelius* ſentiat. Nihil mihi hoc tempore gratius facere potes, tum enim *Cornelii* ipſius cauſſa, tum vero etiam fratris eius, quem mirabiliter amo, ob ſingularem doctrinam, & ſummam virtutem, res illius omnes opto tibi commendatiſſimas eſſe. Is inter medicos huius urbis, tum artis peritia, tum graecarum literarum ſcientia, quodque maximum eſt, fide, & bonitate ita excellit, ut ab omnibus iure laudetur, & ametur. Tu ex omnibus tuis officiis, quae in *Cornelium* iuvenem optimum, & gratiſſimum contuleris, praeterquamquod ſummam voluptatem, ac uberem fructum capies, me quoque, & fratrem ipſius tibi devinctiſſimos reddes. In meis ſtudiis nihil hilare eſt hoc tempore, cogor enim praeter naturam, inſtitutumque meum, paene dixerim etiam praeter fatum dicax eſſe in *Madium* (1) illum inportuniſſi-

(1) *Is eſt fortaſſe Vinc. Madius Philologus non obſcuri nominis, ad quem plures dedit Epiſtolas Bartholomaeus Riccius. Riccii Epp. lib. IV.*

tunissimum hominem, nosti corniculam illam, nosti ὑπώπιον illud nostrum. Quid enim faciam, mi *Petre*, an ὑπεροραλέον ἢ μαχηλέον; tu quaeso consilium da ἀπορῶ γάρ: te audimus multas centurias instruxisse. O praeclaras copias, o insignem *Victorem*. Vale, meque ut facis, ama.

Venetiis XIII. Kal. Sextil. MDLI.

XXXVI.

CYNTHIVS IO. BAPT. GYRALDVS P. VICTORIO TAMQVAM PATRI COLENDISS.

Etsi v. c. te nunquam de facie novi, tamen praeclara ingenii tui monumenta, quae multos iam annos edidisti, te mihi usque adeo demonstrarunt, ut imaginem tuam, veluti in tabella feliciffimo expressam pennicillo, obtulerint; quod sane fecit, ut te licet absentem, & non a me visum, & amaverim plurimum, & observaverim, & licet omnia ingenii tui monumenta te ipsum praesetulerint, tamen quae in *Aristotelis* rhetorica nuper edidisti commentaria (1) hoc usque adeo effecere, ut mihi visus fuerim aliis in operibus tuis adumbratam quandam tui imaginem vidisse, istis vero in commentariis te spirantem propemodum ac penitus vivum; nullibi enim preclarissimi ingenii tui opes, & varios, ac multiplices eruditionis tuae thesauros bonarum artium studiosis, aut copio-

(1) *Anno scilicet MDXLVIII. fol.*

copiosius, aut liberalius erogasti; his enim ipsis non obscuratam modo, sed propemodum extinctam dicendi rationem, claram, & conspicuam temporibus nostris in lucem revocasti. Quod quum alias animadvertissem, tum hoc anno, quum *Ciceronis* oratorem Ferrariensi iuventuti publice exponerem. Segetem enim, verum fatebor, quampiam totius artis rhetoricae ex iis seminibus, quae istis in campis iecisti, maxima cum utilitate conlegi; quae enim antea in *Aristotele*, & ob interpretum negligentiam, & ob corruptam *Aristotelis* lectionem erant innumerabilibus fere erroribus involuta, tu tua virtute pristinae integritati restituisti, & ab omni iniuria vindicasti, & non modo *Aristotelem*, *Aristoteli* reddidisti, sed nodos illos, vel Gordiano inplicatiores non fregisti sane, sed mira facilitate explicasti: & quamquam non desunt, qui tuis in lucubrationibus Momum agant, habent tamen plurima, quae admirentur, paucissima quae mordeant; quin vel inviti fateri coguntur, neminem hac tempestate extitisse, qui te felicius rem hanc & tentaverit, & absolverit, teque reliquis spem eripuisse fatentur, tanti negotii provinciam adtingendi. Nam quamvis viam omnibus straveris, tenebras discusseris, te illis antesignanum proposueris; timent tamen, ne si plus nimio progrederentur, in salebras inciderent, quae iter inceptum abrumperent,

nedum

nedum morarentur. Quum igitur tua virtus iamdiu effecerit, ut te tacitus amaverim, tuaque omnia probaverim, hos in *Aristotelem* commentarios admiratus fuerim, volui huius meae erga te voluntatis significationem aliquam tibi dare, ut me quoque inter tui studiosos reponas, sciasque *Giraldum* tibi usquequaque addictum esse; cupereque ipsum nihil magis, quam suae in te benevolentiae aliquod testimonium apud te reponere, quod profecto eveniet, si tu iis in rebus, quae tibi commodo esse possunt, me, meisque omnibus tuo arbitratu uterere. Vale. Kalen. Novemb. MDLI.

XXXVII.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Eo mihi maiori voluptati fuerunt literae tuae, quo novi me meis literis calcar addidisse equo currenti; nam licet me non lateat te in omni humanitate excellentem semper aliquid agere, atque moliri, quod humano generi, & inprimis bonarum artium cultoribus commodo sit, atque utilitati, tuumque nomen inmortalitati ac gloriae commendet sempiternae, hacque de caussa tibi monitore vel impulsore, opus non esse; tamen non potui maiorem in modum non laetari, literas meas alacri animo tuo ad hoc munus strenue, ac naviter obeundum stimulos, & faces addidisse. Illud vero mihi mo-

molestum fuit literas meas, veluti aestu quopiam, manibus multorum iactatas, ad te serius, quam par erat, pervenisse, hac enim cunctatione, ac tarditate, literarum tuarum lectione diutius carui. Verum illarum suavitas, & elegantia, animique tui probitas, quam nunc demum in iis legendis novi, omnem mihi molestiam levavit; satisque illas mature me adcepisse existimavi, quum semel adceperim. Quod ais te vehementer optare eos non deesse, qui mortalibus operoso illo in opere te praeclarius operam navent, maiorique usui sint suis lucubrationibus bonarum literarum studiosis, facis tu quidem, quod virum probum, atque ingenuum decet, idque optas, quod nobis etiam omnibus est optandum; sed quid est, quaeso, quod tu, vel nos hac in re magis optemus? quum tibi non superiorem modo, sed ne parem quidem futurum videamus neminem? Omnibus enim, qui ad hanc rem adgredi voluerint, id incumbit negotii, ut cogitent potius quid ipsos praeteriisset, si ante te in eam rem nervos intendissent, quam quid tuae diligentiae addere possint. Vtinam nostris temporibus tanti fieret haec recte dicendi facultas, quanti olim apud graecos, & apud latinos: haberent sane homines nostri multa in opere tuo, ut proximis etiam literis meis tibi significavi, quae admirarentur, pauca vero, quae tibi indulgerent. Sed quando haec

haec conſtans rerum humanarum viciſſitudo effecit, ut facultati oratoriae ſuus amplius non ſit honos, eaque tantum in probatorum auctorum ſcriptis decumbat, eo magis omnis literaria Reſpub. tibi debet, quo tu illi, non modo cadenti, ſed penitus lapſae, tuis vigiliis, tuo ſtudio, tuo labore, ac virtute opem tuleris, eamque iacentem erexeris, & veluti a nigris manibus revocaveris. Supereſt, ut te orem, quod mihi pollicitus es, praeſtes; crebrius ſcilicet ad me ſcribas, praeclaraſque cogitationes tuas mecum communices, quo tua opera & cultior evadam, & eruditior, teque in dies magis, ac magis admirer. Vale, & *Benedicto Varchio*, *Ludovicoque Dominico* ſalutem dicito meis verbis. Ferrariae Kal. Febr. MDLII.

XXXVIII.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Quum *Hieronymus Sementius*, & generis nobilitate, & omnibus animi dotibus inſignis ad tuum pro noſtro Principe orator veniat; etſi paullo ante ſcripſi ad te, nolui tamen ipſum ſine meis ad te literis iſtuc adcedere, ut vel ex hoc intelligas, me nullam occaſionem praetermittere, qua me tui amantiſſimum cognoſcas. Vale, & me ama, curaque, ut quum *Lilius*, & *Baſſanus* fato functi ſint, tuque unus poſt omnes literarum proceres nunc ſuperſtes

ſis, te, & tibi, & nobis, quam diutiſſime ſerves. Ferrariae XIV. Kal. Aprilis MDLII.

XXXIX.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Ita Deus opt. max. *Victori* optime, omnia tua vota, reſque tuas omnes fortunet, teque mihi, & toti Reip. literariae quam diutiſſime incolumem ſervet, ut ego nulla negligentia hactenus a ſcribendi munere ceſſavi. Nemo enim eſt me promtior ad reſcribendum eorum literis, quos non amo modo, ſed colo, ac obſervo, inter quos quum tu principem locum obtineas, potes facile coniicere, quam aegre tulerim ceſſationem hanc meam non otioſam quidem, ſed moleſtam, & quam malas gratias habuerim iniquo fato meo, quod inſolitus quidpiam ſtomachi morbus, ac debilitas, unde mihi omnium membrorum ſupervenit laſſitudo, me uſque in hanc diem adeo vexaverit, ut non ſolum a ſtudiis omnibus me avocaverit, ſed omnes prope noctes inſomnes ducere coegerit, ita ut mei compos paene non fuerim. Nunc vero quum aliquantulum me receperim, egoque mihi divino auxilio reſtitutus fuerim, volo *Victori*, diuturnum ſilentium rumpere, & tibi, quod debeo, aliqua ſaltem ex parte perſolvere. Ago igitur gratias humanitati tuae, & pro munere egregio, pro

tua

tua hac de me benemerendi propensa voluntate, proque hoc liberali, ac benigno animo tuo, quo studia mea tuis lucubrationibus adeo iuvare curas, ut quum ego nihil de te benemeritus sim, tu tamen ita de me benemereare, ac si beneficiis devinctus mihi omnia debeas. Sed ut ad munus tuum deveniam, perlegi libellum multis ad ornate dicendum praeceptis refertum, & innumerabilibus propemodum librariorum mendis tua cura purgatum: est enim apud me, qui Graecas literas optime callet, quocum *Demetrium* totum vidi. Sed quoniam *Franciscus Davanzatus*, qui tuo nomine me proxime invisit, ex te mihi dixit, te tua in illum commentaria propediem editurum, illa abs te summo desiderio expecto, quo illis ducibus & lucidior mihi fiat, & clarior *Demetrius*; & insideant altius animo, quae ille ad dicendum praecepit. Sed optarem te in illo exponendo, graecis vocibus latinas subiicere, ut pluribus prodesses; non enim omnes in graecis intelligendis adeo parati sunt, ut aliena ope non indigeant, quam quidem qui illis te commodius praestet, video neminem. Adde etiam quod homo latinus, etsi transmarinas literas optime novit, genuino quopiam instinctu libentius in iis versatur, quae ab eruditis viris latinis auribus tradita sunt. Gaudet enim id honoris latinae linguae accedere, quod scilicet ex bonis graecis bona latina

videantur. Quod in *Pausania* vertendo adeo egregie praestitit *Amasaeus*, ut ipse *Pausanias* se magis latinum probet, quam graecum (1). Et ni *Amasaeum* inimica rebus mortalium fata nobis invidissent, sperabam etiam *Athenaeum* latine loquentem proxime videre. Sed tecum erit iste labor, *Victori* optime, in quo omnis literarum honos, & literatorum commodum prope recumbit. Dum vero in hanc rem incumbes, expectabo abs te vigilias illas tuas, quibus *Gellii* noctes aemularis (2), vix enim dici posset, quam magna animo conceperim, quamque mihi persuaserim omnia abs te felicissime fuisse tentata. Sed de his hactenus. Ego iamdiu optavi, *Victori*, linguam hanc, quae inter Italos hodie vivit, ac viget, qua passim ad animi sensa verbis exprimenda utimur, ea esse in existimatione, ut nec graecae, nec latinae invideret. Hoc enim hominem Italum, & disciplinis inbutum non minus decere nunc arbitror, quam olim Romanos decuerit linguam latinam graecae parem efficere; quod ut illi feliciter, & magna cum laude conati sunt, ita etiam adeo feliciter sunt adsequuti, ut illam imperii magnitudini parem effecerint, & quae graeci nobis tradiderint, meliora reddiderint: & licet impe-

(1) *Prodiit haec versio Romae MDXLVII. 4. Alexandro Card. Farnesio nuncupata.*

(2) *De Petri Victorii variar. lect. libris intelligit, qui Florentiae prodierunt A. 1553. fol.*

imperii maieſtas, & amplitudo tunc ad ſermonem eorum propagandum multum profuerit, noſtriſque temporibus res Itala eo redacta ſit, ut barbaris potius pareat, quam dominetur; nihilo minus id mihi ſemper perſuaſi nobis deſpondendum non eſſe animum: video enim eam eſſe ſermonis noſtri felicitatem, ut quod heroes illi Romani ſuis temporibus, & bello, & armis, & imperii vi praeſtiterunt, nos & ſcribendo, & loquendo adſequamur; ita ut nos verbis, & ſcriptis barbaros non minus nobis ſubiiciamus, quam illi bello, & armis ſuperarint, ſitque eadem vis linguis noſtris, quae olim eorum manibus fuit. Quando eos, qui rerum potiuntur, nobiſque loquendi leges, ut quondam Romani ſubiectis, inponere poſſent, noſtro ſermone adeo non, dixerim, delectari, ſed vinci, ut Hiſpani, Galli, & reliquae nationes, ac gentes, non minus noſtra, quam ſua lingua loquantur, publicoſque habeant magiſtros, qui illos ſermonem noſtrum doceant, ut quae a praeclaris noſtrae linguae viris luculenter, & ſplendide ſcribuntur, vel audiendo, vel legendo poſſint intelligere. Quod plane facit, ut rem Italam non penitus cenſeam ſuccubuiſſe, ſolerque hoc uno calamitates noſtras. Hoc igitur in cauſſa fuit, quod ego in hanc rem iampridem incubuerim, dederimque operam, ut meo etiam labore, meo ſtudio, meis lucubrationibus, tam praeclaram

pro-

provinciam pro virili parte foverem, consuleremque ego etiam nostris hominibus, illique linguae prodessem, quam vel ab ipsis incunabulis cum nutricum lacte sugimus; quae quidem, non minus elegantiae, splendoris, ac ornamentorum capax est, nec minus apta ad omnes omnis generis materias explicandas, quam priscis temporibus graeca, & latina, modo nos illi non desimus, & dum peregrino sermoni favemus, illam non minoris faciamus, quam par sit. Hinc inter multa, quae a me tum carmine, tum soluta oratione scripta sunt, etiam ad tragoedias, quae omne genus scripti facile superant, animum adpuli, ut ostenderem, & has materias satis feliciter posse tractari; quo in genere quum multa composuerim, multa in scaenam adduxi, adsiduis amicorum precibus devictus. Hanc quae *Orbecche* inscripta est, quam, ut olim florem suum Agathon, ex ficta re, sed, ni fallor, verisimili materia, fictisque nominibus composui, iam decennio edidi. Cuius ea in infelicitate fuit felicitas, ut multa praeclara ingenia excitarit ad hanc eamdem operam navandam, plures enim hac in lingua hoc decennio tragoediae adparuerunt, quam totis trecentis annis elapsis. Eam autem ad te mitto non modo Tuscam, sed in florentiss. Etruriae civitate natam, ut tu quoque videas, an id muneris, satis strenue obierim, iudicesque quid de reli-

quis

quis meis ſperandum ſit, ſi illas forte in publicum mitterem. Et licet videam hanc eſſe Diomedis, & Glauci permutationem, quod ſcilicet aerea pro aureis dem; cupio tamen eam tibi ingratam non eſſe, ſi non alia de cauſſa, illa ſaltem, quod ab homine tui amantiſſimo ad te mittitur. Eam autem ſatis gratam tibi fuiſſe mihi perſuadebo, ſi tu ſeveriſſimi iudicis perſonam indutus, dederis operam, ut quae minus probaveris, tui ſtili acumine confoſſa ad me revertantur, ut ex hac una videam, quid mihi in reliquis agendum ſit. Erant mihi nonnulla ſuper *Ariſtotelis*, & *Horatii* poetica tecum communicanda, ſed ne epiſtolae fines tranſeam, ea tibi alias ſignificabo. Vale tibique perſuade, me tui eſſe amantiſſimum.

Ferrariae Pridie Non. Auguſti MDLII.

XL.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Hanc *Gualteri* Scoti iuvenis, & moribus, & literis non minus, quam liberali indole clari, mihi oblatam ad te ſcribendi occaſionem praeterire nolui. Nam etſi paullo ante ad te literas dedi, nihilque nunc habeo, quod vel mea, vel tua interſit, quod tibi ſignificem; brevibus tamen his literis volui tibi ſalutem dicere, meque tibi plurimum commendare, teque etiam atque etiam rogare, ut me tui amantiſſimum

ſimum ames, & facias ſtudiorum, lucubrationumque tuarum quandoque participem. Vale, & *Paullum Iovium*, *Varchiumque* meo nomine ſaluta. Ferrariae VI. Kal. Octob. MDLII.

XLI.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Diuturnum ſilentium meum, *Victori* opt. rupit *Hercules*, in quem nunc incumbo, dum non modo eius labores, verum res omnes ab ipſo praeclare geſtas, quanta poſſum diligentia ex omnibus tum graecis, tum latinis auctoribus perquiro, non quidem quod me lateat multos extitiſſe, qui rem hanc conati ſunt, ſed, ut tempori, & occaſioni ſerviam, mihique ipſi morem geram. In his vero recenſendis iniecit mihi ſcrupulum Herculis, & Ioles amor, quem inter omnes latinae linguae auctores *Ovidius* ea in epiſtola, quam fingit Deianiram ad Herculem ſcribere, elegantiſſimis carminibus complexus eſt. Nam vehementer dubito, an eadem Hercules ſub Iole tulerit, quae ipſum ſub Omphale paſſum fuiſſe Poetae fabulantur, & an in eamdem ſententiam *Ovidius* deſcenderit. Et licet paſſim illius epiſtolae interpretes, & alii etiam iuniores id firmiſſime adſeverent, tamen ſum animi dubius, an id probem, quum videantur ea, quae *Ovidius* ſcribit, ad Omphalen referenda. Nam ex Lydia non

non erat Iole, Lamona non pepererat, nec apud Meandrum flumen agebat. At vero si ea de Omphale intelligas, quid est, quod dicat *Ovidius?*

Vna recens crimen praefertur adultera nobis,
Vnde ego sum Lydo facta noverca Lamo.

Qui enim potuit esse recens adultera Omphale, quum *Diodorus Siculus* gravissimus auctor ostendat, spatium XV. annorum plus minus, ab amore Omphales ad Deianirae nuptias fuisse interiectum? Qua ratione eam adpellat Deianira adulteram, si illam Hercules tanto intervallo, antequam Deianiram uxorem duceret, amabat? Et quum ea in epistola iniuriam sibi ab Iole inlatam doleat, idque sibi proposuerit scribendum, quam, quaeso, praeter rem, quam alieno tempore hanc de Omphale querelam, perinde ac novam, & recentem in medium adfert? Quare quum haec non modo anxium me teneant, sed ceptum iter intercipiant, quominus progrediar, & non sim nescius, te veluti totius eruditionis oraculum priscis his de rebus respondere, de te quaerere statui, quid sentiendum ducas, quid hac in re observaveris, quonam modo hic solvendus est nodus, haec evadenda ambiguitas, & an arbitrere, *Ovidium*, quum ea, quae Omphale Herculi inposuerat, commemoraverit, tacita quapiam consequutione voluisse innuere, eadem illi ab Iole fuisse inposita, & an anti-

quorum quiſpiam eam habuerit opinionem; maxime enim in rem meam eſſet, ſi antiquorum aliquis id memoriae prodidiſſet. Te igitur per tuam eruditionem, & per noſtram neceſſitudinem, *Victori*, rogo, ut de his omnibus me certiorem facias, id enim mihi tam gratum erit, quam quod maxime. Anginae morbus, etſi ſua natura acutus, tamen totos XL. dies me maxima cum febre vexavit, nec adhuc ſum ſatis firma valetudine. Dum vero languerem, hos hendecaſyllabos Duci meo ſcripſi, quos ad te mitto, ut tua cura politiores fiant; item & ea carmina, quibus Kalen. Ianuarias ipſi felices optavi, fac quaeſo intelligam, quam tu illa vel probes, vel inprobes. Vale. Ferrariae VII. Kal. Aprilis MDLIII.

P. S. Diſceſſit a me nuper *Edmundus* Gallus, graece, & latine ſatis eruditus, qui filios meos utramque linguam docebat, nec quemquam adhuc inveni, qui id muneris obeat, & quum nihil magis cupiam, quam filios meos iis in artibus, quae homine libero dignae ſunt, proficere; te rogatum velim, ne mihi hac in re deſis, & ſi quem forte habes, qui & morum probitate, & mediocri ſaltem eruditione praeditus ſit, cures eum ad me venire: excipietur is quidem a me benigne, daboque operam, ut ipſum non poeniteat ad nos acceſſiſſe. Iterum vale, & me etiam tuarum lucubrationum participem effice.

PE-

XLII.

PETRVS ANGELIVS BARGAEVS P. VICTORIO S. P. D.

Etsi non temere ad eos, qui sunt magnis occupationibus inpediti, soleam scribere; ne aut ineptus esse videar, aut meae potius utilitatis, quam alieni otii rationem ducere existimer: tamen quum in te non minorem esse humanitatem, quam doctrinam, quae certe summa est, omnes praedicent; non dubitavi fore, quin tu me magnopere reprehendendum esse non arbitrareris, si ego has literas ad te non curavissem perferendas, ex quibus praesertim fueris intellecturus, neminem me habere, quem ego potius consulendum mihi esse statuam, quam te unum, quum forte adcidit, ut quod ego ignoro, huiusmodi sit, ut illud ab homine aliquo eruditissimo peti oportere existimem. Neque enim is sum, qui mihi tantum adrogem, ut non putem esse plurima, aut potius infinita, quae quum mihi sint obscura, tibi ceterisque tui similibus viris in omni genere doctrinarum versatis perspicua esse debeant. Sed ego fortasse arcem ex cloaca; quare ad id veniam, quod harum est caput literarum. In oratione *Ciceronis* pro domo sua §. 17. locus est mihi quidem valde ignotus, & ut opinor, nonnihil a librariis depravatus. In quo vel restituendo, vel interpretando quum diu me torxerim, nihil invenire potui; quamo-

brem iure mihi esse conquiescendum iudicaverim: eius haec sunt verba: *nam quum tam moderata iudicia populi sint a maioribus constituta: primum, ut ne poena capitis cum pecunia coniungatur: deinde, ne, nisi praedicta die, quis accusetur, ut ter ante magistratus accuset intermissa die, quam mulctam inroget, aut iudicet: quarta sit accusatio trinum nundinum prodita die, qua die iudicium, sit futurum*, & reliqua. Non ignoro diem praedici, ac de capite civis per maximum conventum, ut lege XII. tabularum praecipiebatur, ferre consuevisse; quod & *Livius*, multis in locis testatur, & *Dionysius* libro VII. copiosissime perscribit; sed illud me perturbat, quod ait, ter a magistratu intermissa die accusari, antequam condemnetur, aut absolvatur reus: postremo sequi quartam accusationem trinum nundinum. Putavi aliquando locum ita esse exponendum, ut quum aliquis adesse iubebatur, accusari tum semel existimaretur, deinde singulis nundinis agi de eius re consuevisse, sic ut singulae nundinae, singulas accusationes, quae tamen ad idem crimen pertinerent, complecterentur, dieque intermissa pro eo tempore, quod inter binas nundinas intercedebat, a *Cicerone* diceretur; atque haec huiusmodi verba, quibus hic utitur e lege aliqua sumta, atque in hunc locum translata fuisse sum suspicatus. Volui tibi meum hoc commentum explicare, ut certo scires, me

quid-

quidquid id eſt, quod me angit, quum tibi non minus ingenue, quam audacter patefecerim, futurum ſperaviſſe, ut tu quoque pro tua ſumma humanitate, admirabilique doctrina, non minus benigne, atque liberaliter, quam ſubtiliter, atque erudite mihi ad omnia reſponderes; quod ſi conſequar, & ego meis auditoribus, quibus eam orationem publice nunc interpretor, tuam ſententiam teſtari potero; & tu nobiliſſimis adoleſcentibus, cum diſcendi cupidiſſimis, tum tui amantiſſimis magnopere proderis: mihi quidem certe tam gratum feceris, quam quod gratiſſimum. Vale.

Piſis x. Kal. Aprilis MDLIII.

XLIII.

CYNTHIUS IO. BAPT. GYRALDUS P. VICTORIO S. P. D.

Etſi ab eo uſque tempore, quo alter noſtrum alteri literas dedit, ad hanc uſque diem nihil ad te ſcripſi, haeſit tamen ſemper intimis animi mei ſenſibus & iucundiſſima, & gratiſſima tui memoria. A ſcribendi vero munere ceſſavi, quod varii rerum caſus, variaeque fortunae viciſſitudines, inhumanaque ingratiſſimi diſcipuli ἀχαριστία me vehementer vexarunt. Ad ea enim animum coactus fui convertere, quae & uxori, & liberis, & mihi uſui forent. Nam quum ab obitu Principis mei *Herculis Ateſtini* ſecundi, cuius nomen ſemper mihi in

ore

ore versabitur dulcissimum ; idem discipulus nihil intentatum reliquerit, quo adcepta beneficia, & adsiduos, diuturnosque in eo erudiendo labores ingratissimo animo pensaret, omnemque tranquillitatis meae statum indignis modis penitus turbaret ; ego ne viro indigna paterer, vel alieno potius arbitratu, quam meo vitam viverem ; neve ab eo, qui omnia mihi debebat, ea male nundinarer, quae ego totos sexdecim annos, quibus ab arcanis *Herculis* epistolis fui, gratis concesseram ; statueram a concitatis turbis me istuc ad te recipere, eaque in patria, a qua maiores mei originem duxerunt, tua ope, atque favore, (quando iter ad Venetos, qui me ad se honestissimis praemiis vocarant, certaque filiis meis munera constituerant, mihi inpeditum fuerat) apud *Cosmum Medicem* Principem optimum, quod reliquum superest vitae pacate ducere, tecumque esse, ac de communibus studiis tecum loqui, magnaque cum voluptate, ac usu tecum versari. Dum vero haec cogitabam, *Emanuel Philibertus* Sabaudiae Dux amplissimus me nihil tale putantem, ad otium literarium, quo nihil optatius nihil unquam mihi fuit antiquius, & ad humaniores literas profitendas Mondivium, quod Montem Regalem adpellant, quadringentorum aureorum nummum stipe proposita, me vocavit. Habita igitur ab *Alphonso* Principe meo clarissimo, atque fortissimo

mo abeundi venia, conditionem adcepi; nihiloque minus huc libenter adcessi, quam Florentiam venissem. Nam sicut florentissima ista in urbe *Giraldi* generis primordia novissem, ita his in locis maternum genus, nam mater mea ex patre hinc oriundo nata est, agnosco; eoque iucundissime fruor. Qui ad hanc regionem accessus eo mihi etiam gratior fuit, quo heic inveni *Franciscum Ottonaium* civem tuum, & egregiis moribus praeditum, in omnique Philosophia probe versatum, tuarumque virtutum buccinatorem adsiduum, mathematica magna cum laude profitentem, cuius cum urbanitas, tum rerum pulcherrimarum cognitio eum mihi valde coniunxit. Quum vero *Arlenius Arnoldus* vir tui amantissimus, & in omni literarum genere excellens; quocum vetus mihi est necessitudo, ut rem literariam in libris excudendis iuvaret, huc adpulerit, mecumque frequens sit, multus ac honorificus de te inter nos sermo saepissime habetur. Nam etsi numquam te hactenus vidi, tamen ut ea, quae abs te literarum memoriae tradita sunt, recondita eruditione, & eleganti doctrina referta, te summum in re literaria virum, & in emendandis antiquorum auctorum sensibus diligentissimum ostenderunt, ita me tibi arctissimo amoris vinculo devinxerunt, nihil est enim ad animos conciliandos vel aptius, vel adcommodatius studiorum similitudine. Non autem hoc dico,

quod

quod ad eos ſcientiae gradus, ad quos tua te eruditio evexit, me perveniſſe cognoſcam, ſed quod ego etiam pro virili parte optimis artibus incubuerim. Et licet qui a quocumque de te apud me habetur ſermo, mihi ſit periucundus, meque ad te amandum ſemper magis, ac magis excitet, ille tamen iucundiſſimus fuit, quo idem *Arnoldus* mihi ſignificavit, te probitatem egregiam, ac benignitatem ſingularem cum pulcherrimarum literarum ſtudiis ſanctiſſimo foedere coniunxiſſe. Quam incorruptam animi integritatem, ac optimorum morum ſuavitatem ſum mehercle tota cogitatione complexus, & amantiſſime exoſculatus, valdeque laetatus, quod me pridem in amicitiam tuam receperis. Quid enim non laeter, me ab eo viro diligi, atque amari, qui in omni virtutum genere noſtris temporibus non modo excellat, ſed cum omni antiquitate ſit conferendus? poſſitque iure, ac merito, & totius eruditionis Pater, & optimorum omnium morum lumen adpellari? Iſta ipſa tua probitas, urbanitas, ingenuumque. iſtud, ac liberale vivendi inſtitutum, ſingulariſque eruditio facit, ut plus quam credi poſſit, moleſte feram, quod fructu iucundiſſimae conſuetudinis tuae minime frui poſſim; vehementerque cupiam Deum aliquam honeſtam quampiam occaſionem mihi offerre, qua & Florentiam, & *Victorium* videre poſſim, & utriſque cum dignitate perpetuo frui.

frui. Verum poſtquam haec locorum intervalla nos ſeiungunt, & *Arlenii Arnoldi* iſtuc proficiſcentis occaſio ſe ſe obtulit, volui his literis tibi ſalutem dicere, & propenſam hanc meam erga te voluntatem ſignificare, animique mei quaſi pennicillo expreſſam faciem tibi oſtendere, ut ſcias, nihil inter tua te habere, quod adeo tuum ſit, quam me, vel quo magis, quam me pro arbitrio uti poſſis, quod ut re experiaris, te etiam atque etiam oro. Tu vero interea rem mihi omnium gratiſſimam feceris, ſi Principi iſti tuo, immo noſtro, cur enim ego eum Principem meum non appellem, ſub cuius imperio *Gyralda* gens floret? me plurimum commendaveris, illique meo nomine manum exoſculatus fueris, Gentilibuſque meis ex me ſalutem dixeris. Vale, & me ama. Ex Monte Regali IX. Kal. Iul. MDLIV.

XLIV.

IACOBVS BARONCELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Literas adcepi tuas omnino mihi gratiſſimas, eaque ipſa die communem calamitatem non certus nuncius, ſed ex ſermone rumor heic adtulit, Pontificem (1) ſcilicet ſummum, tam re-

(1) *Is eſt Marcellus II. quem Prid. Kal. Maii apoplexis invaſit, eique paullatim omnes ſenſus, atque ſequenti nocte vitam eripuit, quum per dies X. aegrotaſſet.*

repente e vita migrasse. O spem fallacem, fragilemque hominum vitam! o praeposteram gratulationem! sed mihi tacere praestat, quam loqui. Nam unus ex omnibus minime sum ad deplorandum Reipublicae Christianae nomen, atque ad lamentandam Romae calamitatem adcommodatus. Si vero dolorem tuum pervulgata aliqua consolatione abstergere coner, merito inriderer; quid enim est tam adrogans, quam hominem sapientia praeditum prope singulari nullo artificio, nullaque eloquentia consolari velle? Tacebo igitur, pictoremque illum imitabor, qui, quod effingere pennicillo non poterat, velo contegebat. Redeo ad tuas literas plenissimas suavitatis, ex quibus intelligo, te stilum illius epistolae nuper ad te missae non inprobare. Ego, mi *Petre*, abs te longe omnium nostri temporis eruditissimo, vere dicam, amari cupio, laudari vero, puto ineptissimum. Quod scribis te cum *Sylvestro Aldobrandino* lectissimo & ornatissimo viro de re mea fuisse loquutum; ipsumque, si occasionem nanciscatur, suum mihi praesidium polliceri, vehementer laetor, tuumque consilium adprobo, tantumque me tibi debere confiteor, quantum persolvere nunquam potero, etenim te multum operae studiique, hac in re posuisse animadverto: *Ludovicum* namque *Antinorium* adolescentem liberali doctrina politissimum libenter etiam mea caussa, si sibi facultas dabitur, ali-

quid

quid effecturum narras, quem tu iuvenem iure ac merito veris, & divinis laudibus ornas; & sane ipsi de tua commendatione gratulor; quae enim sibi uberior laus, & verior contingere potest, quam a laudatissimo viro laudari? Facias igitur, obsecro, illum certiorem, me ita semper fuisse suum, ut omnia de me sibi possit perpetuo polliceri; virtutem siquidem ipsius atque integritatem iamdiu sum admiratus. Quod vero ad meum negocium adtinet, illud inprimis est verum, ut qui in ista celeberrima urbe habitare, iusque civile aliquo cum honore exercere velit, consideret oportet, ut sit, unde sibi suppeditentur sumtus saltem necessarii. In quo autem honesto praesidio spem conlocem, quaeso cognosce. Fratrem habeo natu maiorem, qui transmarinas utiliter gerit negociationes; hic me valde diligit, ad eum persaepe confugi, ab eo opem petivi; ipse vero mihi semper consuevit esse adiumento: ad eum igitur scripsi, nummosque ad vitam istic sine molestia degendam mihi aliquot annis opus esse narravi; quare, qui mihi semel, ac saepius ultro est opitulatus, preces nunc meas, ut opinor, non deseret: quod si quamprimum, ut spero, eveniet, tuque pro tua singulari humanitate negocium ages meum diligenter, Romae in iuris civilis facultate, quantulacumque illa in me sit, exerceri potero, usumque forsan ex illa, utilitatemque capere;

remotus enim heic ab oculis populi omne ocium, tempusque sine honore contero. Nam quid ego diffitear, heic sine aliqua virtutis exercitatione me vitam inhonoratam, & ingloriam vivere? Sed tu, ut instituisti, me diligas rogo; tibique persuadeas, incredibilem esse meam erga te benevolentiam, & observantiam. Vale. Florentia V. Eid. Maii MDLV.

XLV.

ROB. NOBILIS CARDINALIS P. VICTORIO S. P. D.

Literas tuas IV. Non. Iulii pomeridie nobis redditas legimus libenter: animum vero tuum erga nos recognovimus libentissime, quem iam tum cum Romae superiore anno fuisti, perspexeramus; nullam enim tum officii partem erga nos praetermisisti. Sed factum est iniquissimo casu, ut is, in quo omnem tuam spem collocaras, alienissimo omnium nostrum tempore moreretur, quod mihi quum multis de caussis fuit iniucundum, tum ob id magnam molestiam adtulit, quod eo mortuo, noluisti diutius Romae vivere, tum quum speraremus, fore ut perquamdiu te frui possemus. Sed illorum temporum ne meminisse quidem volo. Ad eam autem partem epistolae tuae, in qua me laudas, puto satius esse non respondere, quam aut adsentiendo, adrogantem videri, quum nihil earum laudum in me agnoscam, aut

ne-

negando, tuum iudicium condemnare. Illud quidem te etiam, atque etiam rogo, ut si quod praeclarum opus aut invenisti, aut ipse scripsisti, ad me cures quamprimum perferendum; nihil mihi, & *Octavio* Patri gratius facere potes. Quod reliquum est, omnem meam curam, diligentiam, & studium tibi de me polliceri, non fallam fidem tuam. Pater meus te salutat, & valde amat. Vale. Dat. Romae III. Nonas Iulii MDLVI. (1)

XLVI.

CYNTH. IO. BAPT. GYRALDVS P. VICTORIO S. P. D.

Edidi nuper, *Victori* optime, breve de Ferraria, & *Atestinis* Principibus commentariolum (2): quod etsi tuo iudicio non satis dignum ad te mitto, ut & meum in te amorem, ac observantiam tibi testetur, & in his vestris publicis solemnibus ludis pro me tecum sit. Tu munus, licet tenue, ne despice, & me tuae virtutis, & singularis eruditionis admiratorem ama, quod mutuo facies. Ferrariae X. Kal. Iulii MDLVI.

XLVII.

(1) *Consulenda Victorii ad eum Ep. lib. III. Epp. p. 55.*
(2) *Prodiit Ferrariae typis Francisci Rubei A. MDLVI. 4. Exemplar vero quod Victorio obtulit, extat in Bibliotheca Victoria Romae.*

XLVII.

ANTONIVS BENIVENIVS P. VICTORIO S. P. D.

Miratus, credo, fueris, me Florentia prius discessisse, quam te convenire potuerim, ac numquid velles rogare, quod mea in te observantia postulare videbatur, vereor igitur, ne, aut negligentiam meam accusaveris, aut amorem desideraveris; id autem, ut non sine dolore, ita absque mea aliqua culpa factum esse, compertum habeas. Quid enim? Tu tibi etiam atque etiam rusticandum proposueras, mihi vero ruri celeriter discedendum fuit propter domestica quaedam negocia, quae me valde urgebant. Quare etsi tibi satis hoc nomine purgatus esse debeo, studio tamen erga te meo minime hercle satisfeci; id me adeo inpulit, ut ad te scriberem, quum primum molestiis quibusdam liber fui, quas in domicilio capiendo, rebusque nostris disponendis necessario subimus, quae quidem res, quod hactenus animadvertere potuerim, satis ex sententia nobis evenit, cum ob alia, tum quod ii, qui simul vivunt, nobis amicissimi, & urbani, atque elegantes admodum viri sunt, eruditionis autem eius, cuius neminem poeniteat; nonnulli vero iis ornati scientiis, quae animum taedio studiorum severiorum adfectum, recreare inprimis possint, ut *Franciscus Ottonarius* noster, quem tibi plane cognitum esse arbitror: nam de

de *Carolo Oricellario*, *Baccio Valorio*, *Iulio Stufa*, non dubito, quorum rogatu salutem tibi adſcribere teneor: haec de privatis. Quod ad Gymnaſium adtinet, nihil eſt, quod hiſce temporibus de infrequentia diſcipulorum queramur. Doctorum autem ſtudium laudare plane poſſumus, quorum *Mainettus*, qui ad philoſophiam interpretandam, Bononia eſt hoc anno adcerſitus, luculentam, doctiſſimamque habuit orationem, ut ii teſtantur, qui & eam audiere, & germani illius, propriique auditores fuere: haec eadem habeas de *Cyriaco Stroza* publice in civilem philoſophiam praefato, & de *Petro Bargaeo* in eloquentiam. De nobis ſi quaeras, *Bernardum Vineam* in Doctorum collegium paullo antea cooptatum audimus, qui quidem expectationi, quam de illo conceperamus, praeclare reſpondet. Tu quum quid otii nactus fueris, ſi ad nos perſcripſeris, & quod prae manibus habeas, & quod publice interpreteris, gratiſſimum nobis profecto facies.

Piſis. Prid. Eidus Novembris.

XLVIII.

HIERONYMVS MERCVRIALIS MEDICVS
PETRO VICTORIO S. P. D.

Hactenus doctiſſime *Victori*, per illuſtriſſimum Dominum meum tecum egi, ut *Lucretium* virum maximum ea modeſtia, qua debeo, contra

tra te defenderem: nunc vero quum ex postremis, quas ad ipsum dedisti, literis, non modo ab incoepta opera te non desistere, verum etiam defensiones meas, quasi leves & vanas parvi facere perspexerim, eas magis confirmare decrevi; illud unum hac laudabili occasione me consequuturum sperans, ut a te viro omnium aetatis nostrae doctissimo, quod maxime opto, multa edocear. Quare id ante cetera a te summopere peto, ne quae dixero, tui, quem omnium maxime veneror, incusandi, aut meae opinionis, quod obstinatae mentis homines facere solent, tuendae gratia dicta putes, sed ne huius disputationis veritas a quoquam desideretur, neve *Lucretius* a me, qui eius auctoritatem maximi facio, indefensus maneat. Et quoniam in iis, quas dixi, literis ad disputationem de particula *cor* tantum respondisti, de eadem solum a me sermo habebitur. Scribebas enim stomachum ab antiquis καρδίαν esse appellatum, & idcirco *Thucydidis* verba male a *Lucretio* interpretata fuisse, qui καρδίαν non stomachum, sed *cor* dicere maluit. Respondebam, ni fallor, ab antiquis non proprie stomachum, sed tantum ventriculi os καρδίαν vocatum inveniri, quod *Rufus* Ephesius, & *Galenus* docent, neque absurdum videri, ut latini potuerint, quemadmodum graeci, sub cordis nomine, ventriculi os intelligere. Has rationes, quoniam tibi admodum

pro-

probatae non sunt, firmiores reddere conabor, atque illud inprimis dicam, *Lucretium* eo in loco minime in animo habuisse *Thucydidis* orationem in linguam suam exacte transferre, & propterea nequaquam damnandum, si quid apud ipsum ab auctoris graeci sententia diversum legatur; quod autem hoc ita sit, omnibus perspectum esse potest, qui latinis graeca conferentes, facile cognoscunt, multa apud *Lucretium* mutata, transposita, diversa, atque aliter intellecta, narratave, ac in *Thucydide* reperiantur, esse. Sed quum hoc in aliis sexti illius libri locis pro comperto habeam, in hoc tamen a te notato, minime ipsum a *Thucydidis* sensu recessisse credo; ad quod adserendum tria mihi statuenda sunt. Primum apud veteres omnes, καρδίαν, aut os ventriculi, aut cor ipsum fere semper, stomachum raro significare; id namque testatum saepissime fecit *Galenus*, cui magnam deberi fidem nemo inficiatur: alterum est στόμαχον apud graecos duo significasse, aliquando ventriculum scilicet universum, ubi conficiuntur alimenta, frequentissime autem ductum illum, qui inter fauces, ac ventriculum collocatur, quemve Graeci, & praesertim *Aristoteles* interdum οἰσοφάγον Latini gulam nominarunt, aliud ab his duobus στόμαχον Graecis designare raro observavi; quando *Homerum*, *Hippocratem*, *Platonem*, *Aristotelem*, *Rufum*, *Galenum*, non alio fere significatu,

 quam

quam praedictis duobus unquam adcepisse quisque cognoscere queat: quod si interdum pro ore ventriculi usi reperiuntur, id non proprie, sed καλαχρηττικῶς ut Galenus VII. aphor. LVI. adserit, fecisse videntur; & ne quis *Pollucem* in II. lib. mihi adducat, stomachum, asperam arteriam quoque vocatam dicentem, sciri velim apud ipsum, stomachum eo in loco pro gulae principio, quod ductibus ambobus quasi commune est, capi; ut etiam paullo infra. Nam & literam *Pollucis* mendosam esse reor, quando scribit ὁ δὲ στόμαχος ἔρκειλαι μὲν ἔνδοθεν λῇ ῥάχει καλαλείνει δὲ εἰς πνεύμονα, ubi legendum puto εἰς κοιλίαν; ex his enim subsequentibus verbis sic esse legendum adparet λοῦ δὲ στομάχου καλαλήγονλος εἰς λὴν κοιλίαν. Tertium est stomachum Latinis quoque frequentissime ventriculum, saepe gulam significasse; quod vero pro ore ventriculi ea vox fuerit usurpata, numquam hactenus observavi: sed ne haec temere adserere tibi videar, quaeso *Lucretii*, *Horatii*, *Celsi*, *Plinii*, *Caelii Aureliani* locos omnes perscruteris, ubi stomachi mentio aliqua habeatur; facile, spero, intelliges, numquam aliud apud ipsos stomachum designare, nisi gulam, aut ventriculum. Quibus ita positis, neminem futurum arbitror, qui non iudicet, *Lucretium* latinae linguae observantissimum minime potuisse καρδίαν, quae *Thucydidi* ventriculi os significabat, stomachi nomine quod nihil minus quam id sonat, trans-

ferre,

ferre, & ideo ſatius ipſi viſum, ut Graecos imitatus, cor diceret; quod ſi auctores alii ea voce ita uſi non inveniantur, propter hoc abſurdi nil a *Lucretio* commiſſum fuerit, ſi loquendi libertate in multis aliis abſque crimine uſus, quum ſtomachum eo in loco tranſferre non poſſet, neque ſtomachi os dicere vellet, latinam vocem in graeca ſignificatione uſurpaverit, praeſertim quum tu optime memineris multa alia huiuſce generis penes ſcriptores ſemel tantum, praeter communem aliorum conſuetudinem, uſurpata inveniri. Porro quod dixerit *cor moeſtum*, alias ex *Galeno* rationem adtuli: nunc idem repeto, nihil in corpore noſtro aeque moeſtitiam parere, atque ventriculi os male adfectum, & propterea *Lucretium*, ſapienter *cor moeſtum* dixiſſe, ut eam partem, videlicet ventriculi os, proprie exprimeret, quam *Nemeſius* etiam in libro de nat. hum. cap. xx. ex *Galeni* ſententia τῆς λύπης ὄργανον ſtatuit: quid quaeſo, bone *Victori*, inconvenit, ut alibi cor pro ore ventriculi, alibi pro corde *Lucretius* noſter adceperit? certe quando dixit

Omnia tum vero vitai clauſtra lababant

feliciſſime ea *Thucydidis* verba μετὰ μεγάλης ταλαιπωρίας interpretans, id totum expreſſit, quod in oris ventriculi pravis adfectibus non raro evenire ſciunt medici, animi ſcilicet defectiones, ſyncopas, atque etiam interdum mortes.

Quare videre nequeo, cur hoc *Lucretio* non facile condonare tibi placeat. *Plutarchi* demum, quos ad *Alexandrum Farnesium* Cardinalem Dominum nostrum misisti, restituti loci magnam tibi sane laudem pepererunt: maiorem autem peperissent, nisi *Hieronymus Frobenius* Basilaeensis Typographus, multis annis ante hanc gloriam praeripuisset; quippe qui volumine opusculorum *Plutarchi* graeco a se edito ita plane, quemadmodum tu prudenter coniecisti, eos restituit. Plura de hac re ad te non scribam, persuasum illud habens, te postquam rem hanc exactius consideraveris, vel sententiam mutaturum, vel saltem gravioribus rationibus eam comprobaturum. Interim scias velim, te a me plurimum observari, & coli, non tantum, quod videam Dominum meum te aeque ac quemvis alium aetatis nostrae eruditum hominem aestimare, & incredibili amore prosequi, verum etiam quia animi tui singularis bonitas, nec non doctrinae praestantia, ita omnibus notae sunt, ut qui te non diligat, ac veneretur, a nemine amari mereatur. Vale. Romae VIII. Eid. Dec. MDLVII. (1)

XLIX.

(1) *Consule Victorii responsum dat. VI. Kal. Ian. 1567. Epp. lib. VI. p. 146.*

XLIX.

BARTOLVS RICHIVS HOLTSCHNVNDENSIS SAXO PETRO VICTORIO S. P. D.

Eum qui ſemel tranſgreſſus ſit fines verecundiae, graviter oportere eſſe inpudentem, vel ego teſtis ſum locuples, qui nuper Romam quum irem, Florentino in oppido maxima adfectus a te, doctiſſime *Victori*, beneficentia, hinc hominem tibi commendare auſim. At vicit meum pudorem tua ſingularis humanitas, & petitio huius iuvenis tibi innoteſcere cupientis *Davidis Piſſeri* Lipſici, ut ego tibi eum, cariſſimum *Ioach. Camerario* noſtro Praeceptori ob ſtudium poetices, cuius fuit ſtudioſus admodum, & utriuſque linguae cognitionem, commendare non dubitem. Cui ſi quid humanitatis, ſtudii, operae tribueris, *Ioachimo* docenti bonas literas in patria eius, tributum putabis, ac me beneficio devincies, cuius memorem animum vel abſens utinam declarare poſſem; ſed quum re non poſſim, voluntate certe, qua boni quique proxime adcedentes ad naturam inmortalis Dei inprimis delectantur, deficiam numquam. De conventu Francofurtenſi Germanicorum Principum, & *Ferdinandi* Imperatoris coronatione huc certo eſt perſcriptum, quae utinam adflictiſſimae Reipub. Chriſtianae ſit ſalutaris. Ego confecto itinere Romano feliciter, nunc recta ad *Ioach.* meoſque cogito, teque diutiſſime in-

incolumem esse opto. Vale. Bononiae Prid. Kal. Martias anno Christi MDLVIII.

L.

BACCIVS VALORIVS P. VICTORIO S. P. D.

Antonius Benivenius omni eruditione perpolitus adolescens, paucos ab hinc dies, me tuis verbis salutavit; id vero mihi tam gratum fuit, quam quod gratissimum; & quum longus plane sermo esset de tuis gravissimis studiis, nunciavit, te ad eum super certo poeticae *Aristot.* loco dedisse literas, petiisseque ab illo, ut omnem operam, ac curam suam interponeret, quo *Kyriaci* nostri (1) opinionem expiscaremur; quid autem sentiret vir perquam doctus, & memor *Benivenius* scripsit id ad te cum libenter, tum pluribus etiam verbis diligenter. Nunc quod hominis sententiam comprobet, forte evenit, ut dum *Ciceronis* Tusculanam, quae est de tolerando dolore, explicabam, in locum inciderim, in quo ipse nonnullos adfert *Pacuvii* versus in Niptris: non sum nescius totum te hunc auctorem inbibisse quidem, & iampridem inbibisse, ipsum namque soluta oratione exprimis, verumtamen quum omnes vel graecos, vel latinos scriptores, quae tua est inexhausta aviditas legendi, evo-

(1) *Kyriaci videlicet Strozzae in Pisana Academia Professoris.*

evolveris, nec mirum mihi ſane videretur, id te fugiſſe hoc tempore; tu itaque totam rem examinabis, meamque fortaſſe intempeſtivam diligentiam aequi bonique feceris. Ego certe, quod mihi ut ad te ſcriberem, occaſioni fuit, idem tibi non ingratum fore duxi. Vale, ac me doctrinae tuae deditiſſimum amplectitor: ipſe enim, cum valeo, tum vero operam dabo, ne fruſtra conſuetudine, & conſiliis tuis uſus unquam videri poſſim: iterum vale. VII. Kal. Decembris MDLVIII. Piſis.

LI.

IO. BAPTISTA ARCVCIVS P. VICTORIO S. P. D.

Tantam quotidie ex novis hiſce tuis variarum lectionum libris voluptatem utilitatemque capio, ut iam cum aliorum veteribus, quos plurimum antea in manibus habebam, non ita ſim frequens: & profecto ſtultus eſſem, ac magis inſipiens, quam fuit olim Iudaeorum Populus, ſi, quum caeleſti nectare veſci liceat, velim nunc eo relicto, in quo omnes omnium ciborum ſuavitates experior, ad olera, quemadmodum illi, & ad Aegyptiorum ollas reverti. Dii te fortunent, doctiſſime & humaniſſime *Victori*, diuque nobis incolumem ſervent, magnum Italiae noſtrae ornamentum, & decus: qui politiſſimis ſcriptis effeciſti, haec ut aetas illi antiquorum feliciſſimae nihil prorſus invideat.

deat. Ego quidem certe iam te in oculis fero, & in medullis sanctissime colo & observo: malo tamen ab aliis quam a me hoc ipsum intelligas. Sed redeo ad XIII. novos illos tuos variarum lectionum libros, quos mihi dono misisti, iamque ego totos devoravi, praeclaros sane, ac suis omnibus numeris absolutos: offendi pauca, dum legerem, quae modo tecum communicem oportet. Et primum libro XXXIV. cap. XXI. ubi loqueris de ficis nanis, & libro XXXVI. ad calcem V. cap. *vasibus* sexto casu, pro *vasis*, uteris: nescio an sit librarii erratum, an potius consulto id feceris (1).

Libro XXVI. cap. VIII. post illa *Euripidis* verba de Crathi, ita scriptum est = Nam quod narrat, aquam eius fluminis flavam lanam rutilam reddere, mira quoque a *Theophrasto* tradita fuerant de vi ipsius, ut refert *Plinius* libro XXXI. cui tamen omnino non convenit cum *Euripide*: longe namque aliter potu illius aquae mutari colores tradit, sive hoc ipsius culpa factum sit, sive Graeci ipsi auctores de hoc inter se dissenserint: inquit enim *Theophrastus* in thuriis, Crathin candorem facere, sybarim nigritiam bubus, ac pecoribus. = Adderem ego, *Ovidius* tamen apud nos libro sua-

(1) *Ita revera legitur in prima editione Flor. per filios Laur. Torrentini* 1568. 4. *In altera vero editione Flor. apud Iunctas* 1582. *fol. castigata leguntur eiusmodi menda.*

suarum Metamorphoseon xv. ubi inducit *Pythagoram* mira quaedam de fluminibus canentem, videtur *Euripidem* imitari voluisse: carmina ipsius adiungam:

Crathis, & hinc Sybaris vestris conterminus oris,
Electro similes faciunt, auroque capillos.

Libro eodem, xvi. cap. reprehendis *Theodorum Gazam*, quod *Aristotelis* problematum sectione xxx. problemate i. in quo multa acute more suo disputat Philosophus de atra bile, ὅθεν σίβυλλαι καὶ βακχίδες reddiderit, ex quo Sibyllae, & Bacchae: ipse autem emendas βάκιδες, una litera demta. Vide, mi *Victori*, ne nihil inmutanda sit vetus lectio; quum praesertim tres fuisse Bacchides, qui divino quodam spiritu instincti futura vaticinarentur, ex quibus unus fuerit Baeotius, alius Atheniensis, tertius Arcas, notum sit vel ex ipso *Caelio*.

Cap. xxii. eiusdem libri sic legitur = Nec tamen adfinis est ulli culpae M. Tullius, & quae sequuntur, usque ad illud = nam si de Ilio sermo esset. Quomodo potuit Achilles eo honore adfici, qui ante excidium eius urbis extinctus fuit a Paride in praelio? Sed heic dicere aliquis posset, *Homerum* vocasse Achillem πτολίπορθον, quod occiderit Hectorem, Troiae propugnaculum.

Libro xxxv. cap. xx. *Catulli* versus adducis

Nam te non viduas iacere noctes,
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio flagrans amomo.

Non ſine conſilio enim veterem lectionem negligis, quae habet = *Sertis ac Syrio fragrans olivo*: quod ſi me amas, fac omnino intelligam.

Libro XXXVII. cap. II. omnia quae de loco *Plinii*, libro naturalis hiſtoriae X. cap. XII. diligentiſſime a te diſputantur, ut cetera, mihi quidem mirifice probantur: ſcire tamen vehementer cuperem, an alias apud *Ariſtotelem* ipſum ξένυς, ea ſignificatione inveneris.

Antiqua etiam illa inſcriptio, quam eodem libro, cap. VIII. dicis adcepiſſe ab illuſtri viro *Mario Columna*, Neapoli viſitur in aedibus adfinis mei *Hadriani Gulielmi Spathaphori*, bonarum literarum ſtudioſi: eius exemplum ſumma adhibita diligentia deſcriptum, libuit heic adponere, quod multa in hac noſtra inſcriptione longe aliter, quam in tua ſint, ſe habere perſpexerim. Bene vale, mi ſuaviſſime *Victori*, animae meae dimidium.

Neap. III. Non. Mart. MDLIX. (1)

DIS. MAN.
C. IOCVNDO C. F. ESQ. QVI XII. AN. VIX.
ET SEPTIES SPECTANTIB. PVB. (2) IMPP.
SER. GAL. OTH. (3) SIL. (4) A. VIT. (5) ET P. (6) R.
SALTAVIT CANTAVIT ET PLACVIT
PRO IOCIS QVIB. (7) CVNCTOS OBLECTABAT
SI QVID OBLECTAMENTI APVD VOS EST
MANES INSONTEM REFICITE ANIMVLAM
FAVSTVS NVNC INFAVSTVS (8)
PATER (9) ET SIBI FEC.

(1) *Eiusmodi Ep. per errorem eius, qui illam ex archetypo exscripsit, huc adlata est, quum ad A. 1569. referenda sit, ut ex iis quae in ea continentur adparet.* (2) *Pub. omittit Victor.* (3) *Galba Othone* (1) *Silvio.* (5) *Vitellio.* (6) *Populo.* (7) *Quibus.* (8) *Haec paronomasia veterem inscriptionem non sapit.* (8) *Pater filio.*

LII.

IACOBVS CORBINELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Quum mihi literas tuas *Antonius* (1) reddidisset, easque cupide perlegissem, eximia quadam gaudii magnitudine sum elatus: primum quod ab eo viro missas intelligerem, quem ego semper magnum existimavi: deinde quia singularem quamdam & mirificam benevolentiam praestitissent aliqua cum mea laude coniunctam. Mihi profecto, quum ceteris aliis in rebus, tum in mea caussa praecipue humanitas illa tua mirabilis visa est, quum tu sponte, nullo meo adductus unquam officio, tam familiariter laudi meae favere conatus es. Qua quidem ipsa re, hoc est, testificatione de me tua, tametsi inficiari non possum, me summa fuisse laetitia cumulatum, tamen spectata melius, ac subducta ratione vitae meae, quum ipse me collegissem. statui me nullo numero dignum esse; simulque non alienum dignitate tua existimavi, vel potius proprie tuum esse, hoc est optimi civis, & viri optimi, excitare eos adolescentes, qui quasi alumni disciplinae

(1) *Forte Benivenius*

tuae videntur, & eos ſtudioſe fovere, & amplexari; quam vero gloriam ſiquis raro tribuere ſibi poteſt, unus omnino, aut nemo unquam, ipſe es: neque haec ſunt occulta, poſita enim tanquam in excelſo, & illuſtri loco, quales e ludo tuo tui imitatione iuvenes extiterunt, quos non ſcientia ſolum erudiſti rerum praeclararum, ſed & eorum dignitatis, & ornamenti amplificatorem te ſummum praebuiſti. Fortunati igitur auditores tui, te vero etiam beatum cenſeo, quando non ea gloria contentus, quae tuum nomen inmortalitati commendavit; aliam qua nos ad Deos propius adcedimus, beneficio dando, deque aliorum commodis cogitando cupide conſectaris. Quod autem me tuis laudibus nunc florentem & auctum vis, facis tu quidem natura tua, ut cupias amplificare quamplurimos. Illa vero, quae non vario ſermone, ut ad me ſcribis, ſed una multorum voce ad te de me ipſo perlata ſunt, ex abundantia quadam amoris profecta videntur: quanta namque in *Bartholomaeo Barbadoro* humanitas ſit, & ſuavis amicitia, plane cognovi: potuit ille quidem nonnulla narrare de ratione ſtudiorum meorum, quae tibi video, & gaudeo probari, quantopereque laborem in Graecae linguae cognitione percipienda, & quantum ipſe profecerim, optime mihi ſum teſtis: & quoniam opinio illa, quantulacumque illa ſit, quam de me iudicio

nunc

nunc habes amicorum meorum, adeo mihi gravis est adversaria, ut nullo modo, neque ullo unquam tempore nedum vincere, aliqua ex parte valeam exaequare, parce, fortasseque non importune aliquid adtingam; quo sensus animi mei tibi patescat, notiorque aliquo modo sit, & illustrior. Ego etsi semper adamarim illorum studiorum tractationem, eorumque usum, & oblectationem ceteris voluptatibus anteposuerim; tamen doleo me in eorum cursum esse paullo serius ingressum, quod iniquitate quadam fortunae factum est, & quibusdam naufragiis rei familiaris meae, quae me, simul ac sapere coepi, inpulerunt in eam mentem, ut viam illam pervulgatam insisterem iuris percipiendi, cuius me magnitudo, & perplexitas aliquot annos inplicatum misere tenuerunt, meumque animum, non sine morsu doloris a mansuetioribus musis inflexerunt: verum quo me vehementius in iis legum studiis involvebam, eo magis in minimis ea esse ponenda iudicabam, nisi cum iis, aut eloquentiae, aut aliarum studia literarum coniunxissem; quae quidem quanto labore, vigiliisque parentur, tu es omnium testis optimus: neque eo consilio cursum illum ingrediendum statueram, ut aliquem me inde putarem fructum consequuturum, sed tantum, ut ex hoc me eriperem vulgo patronorum. Hoc fuit in capessendis studiis consilium meum; quod equidem

illa

illa tanquam clades praeſtantium diſciplinarum ſaepe preſſit, & a quo in praeſentia, ſi unquam antea, clara voce ſentio me revocari. Pareo tamen, quantum in me fuerit, conſiliis iis, quae mihi ſuaviſſimis literis tuis adhibuiſti, nec non in ſumma etiam deſperatione, & diſcrimine rerum mearum, noſti tempora, & mores, omnes vias perſequar, quibus me poſſe pervenire quo volebam exiſtimavero. Vale. Piſis poſtrid. Non. April. MDLIX.

LIII.

GAB. BARRIVS FRANCISCANVS P. VICTORIO S. P. D.

Poſteaquam abs te deceſſi, diu mecum ſedulo cogitavi, quae mihi de *Laurentio Torrentino* retuliſti, quod hominibus blandiri ſoleat, & rem ad verba minime conferat. Quamobrem veritus ego ne, ut mihi dixiſti, rem in longum differens, me deceptum habeat, velim, ut librum meum pro Lingua latina nunc inprimendi provinciam ſuſcipiat: nam menſe Maio me in Calabriam conferre neceſſe eſt. Quare te, pro tua in omnes humanitate, & in latinam linguam, qua longe es praeditus, obſervantia ſingulari, obſecro, & obteſtor, ut apud illum librum ipſum commendans, perſuadeas, quo nunc ipſum inprimere velit, animumque ſuum hac in re, ut mihi pollicitus eſt, perſcruteris: nae iſtuc ego, dum enim in-

pri-

primitur prorſus adeſſe volo, ſcio, pollicito fruſtratus nequicquam adcedam; de qua re ad ipſum quoque ſcribo. Quod ſi nunc librum ipſum inprimere ſpoponderit, ad me ſcribas, atque interea te mihi honeſtam aliquam iuvenes literas docendi conditionem, qua iſtic honeſte, ac commode commorari valeam, reperias velim. Mallem tamen in caenobio aliquo Caenobitas docturus, ſi tamen huiuſmodi conditio reperiri poteſt, commorari, quam apud Laicos. Vale, & me mutuo ama. Romae Nonis Novembr. a partu Virgineo MDLIX.

oe

oe

LIV.

CAROLVS SIGONIVS P. VICTORIO S. P. D.

Lectis tuis literis incredibili profecto ſum animi voluptate perfuſus, quod ex iis intellexi, amorem erga te meum tibi non ſolum notum eſſe, verum etiam gratum. Nam de iudicio quid dicam? de quo te laborare non exiſtimo, praeſertim quum eo in loco ſita ſit laus tua, ut qui te non admiretur, & amet, is aut alienae gloriae invidus, aut plane omnis humanitatis expers haberi poſſit. Me vero, ut te non amarem ſolum, ſed etiam omnibus prope animi mei ſenſibus comprehenſum tenerem, admirabilis, quae in ſcriptis elucet tuis, quorum ego me cum multis ſtudioſum ſemper fuiſſe profiteor, doctrinae magnitudo tuae coegit,

git, auxit deinde etiam, ac plane cumulavit amorem meum perhonorifica multorum, inprimisque ornatissimi viri *Petri Carnesecci* de tua probitate, & tuis moribus praedicatio, quo factum est, ut ego nihil iampridem ardentius cupiam, quam te, quem absentem in oculis fero, non modo ut videam, sed praesens etiam praesentem intuear, atque adloquar. Quod autem *Mureto* scribis, equidem te ab eo paullo liberius, quam dignitas postulabat tua, tractatum esse, pro eo, ac debui, moleste tuli. Itaque quamquam splendori nominis tui labem nullam cuiusquam reprehensione adspergi posse pro certo habebam, tamen pro mea erga te perpetua caritate non destiti, dum integra res adhuc erat, illum admonere, atque orare, ne hominem de omnibus elegantioribus literis optime meritum, in eo praesertim libro, in quo studia haec politiora ornaret, pessime vellet adcipere; cui quum ille respondisset, se literarum caussa, quas illustrandas suscepisset, nec *Victorio*, nec *Sigonio*, nec omnino cuipiam, si res ita tulisset, esse parsurum, exarsi aliquanto quam soleo vehementius, meque, si ea mente esse perrexisset, & *Sigonii*, & *Victorii* partes acerrime suscepturum, & ipse tum, & multis post etiam audientibus sum professus. Quid quaeris? his verbis visus est ille nonnihil tum esse commotus. Itaque quum ex amicorum sententia, quod in me scripserat, po-

postea delevisset, ac mecum etiam de reconcilianda gratia, quam inmutatam esse suspicabatur, egisset, facile a me aequa omnia impetravit: etenim ab eo tempore sic ego omnem & meae, & tuae defensionis cogitationem abieci, ut quum alteram non necessariam esse intelligerem, ne alteram quidem temere mihi attingendam esse existimarem; quod, ut ex ea laudem nonnullam etiam victus sperarem, sic ex hac quantum famae periculum subiturus, & quos de me hominum sermones excitaturus essem, nisi pro dignitate rem confecissem, quam privata nulla provocatus iniuria suscepissem, facile praeviderem. Quamobrem peto a te, ut hoc uno non levissimo, ut arbitror, summae meae erga te observantiae argumento contentus esse velis; qua quidem, si in certamen necessario descendissem, meam caussam a tua non fui separaturus, sed graves communis adversarii petitiones eodem stilo propulsaturus. Illud autem persuasum, ac certum habeas, clarissima multa ingenii, ac doctrinae tuae monimenta eam tibi toto terrarum orbe literarum iampridem gloriam comparasse, ut eam nulla unquam obtrectatio obscurare, nulla omnino iniuria cuiusquam inminuere possit. Vale, & me ad omnes res, quae ad te pertinere videantur, paratissimum esse existima. (1)

Venetiis VIII. Kal. Decembr. MDLIX.

(1) *Exstat Victorii resp. dat.* 4. *Non. Dec. lib. IV. Epp. p.* 76.

LV.

IO. FASEOLVS P. VICTORIO S. P. D.

Rectissime omnino factum est a viro nobilissimo omnique laude dignissimo *Petro Carnesecco* (1) qui, quantopere te colerem, atque diligerem, quod ei iampridem maxime notum erat, perbelle tibi enarrare potuit. Quatuor namque nostra haec aetas in nostris his studiis, ac polita multarum rerum cognitione, qui haud domi taciti latuerint, sed quantum in ipsis fuit praeclaris iuvenibus admodum profuerint, ac praestantissimos omnes utriusque linguae scriptores summa cum dignitate semper in manibus habuerint, non paucaque summopere commendanda, & ipsi pepererint, revera excellentes inprimis tulit viros. Mihi autem datum fuit, ut ex his duos non solum noverim, sed multos etiam annos, graecos, latinosque libros interpretantes audierim, ipsisque penitus intimus fuerim. At *Lazarus Bonamicus* (2) & *Benedictus Lampridius* ii sunt, quos mea hac ora-

(1) *De Petro Carnesecco nobis erit suo loco edisserendum.*

(2) *Hic patria Bassaniensis, & rustici patris filius fuit. Marco Musuro praeceptore usus, graecas literas didicit. In Patavino gymnasio humaniores literas maxima nominis celebritate professus est. Vivere desiit A. MDLII. aet. LXXIII.*

oratione ſignifico. Tertius *Romulus Amaſaeus* (1) ſuccedit, quod licet de ſuperiore loco numquam exponentem, ut optabam, viderim, attamen de facie novi, & familiariter cum eo ſum aliquando loquutus. Tu quartus, *Victori* optime, atque eruditiſſime, reliquus es, quem, ut illis omnibus viventibus ſemper venerati ſumus, ita iam deſideratis, ſubſpicere, atque admirari debemus: in quo hactenus infelicior fui, qui in duobus illis certe fueram feliciſſimus. Nam non ſolum illud ad hunc uſque diem conceſſum non fuit, ut te viderem, audirem, praeſentemque, quod percupiebam, adloquerer, ſed vix etiam antehac conſequi potui, ut tibi notus eſſem. Multis igitur, magniſque de cauſſis *Petro Carneſecco* optimo atque elegantiſſimo viro debeo, *Philippumque* iuvenem cordatum, & egregium aeque amo atque alterum fratrem, cuius etiam non pauca, ac minime obſcura extant erga me beneficia. At quod alter meam erga te voluntatem ſuo illo dicendi genere, tum nitido, tum artificioſo iam antea aperuerit, alter vero meas etiam literas oſtenderit; adeo mihi gratum fuit, ut nihil a Deo optimo maximo potius hoc tempore optandum videretur.

R 2 Hinc

(1) *Fuit origine Bononienſis, ſed Vtini natus in Carnia ſaec. XV. Bononiae latinae graecaeque linguae mercenarius profeſſor, einde Patavium ad graecam linguam docendam adcitus eſt. Deceſſit Romae ante obitum Marcelli II. a quo plurimum diligebatur.*

Hinc namque factum est, ut ad te, tuamque amicitiam mihi aditus apertus, tuaeque benignitati fores sint patefactae, unde illae iam ad me literae digressae, quae, ut mihi semper futurae sunt perhonorificae, ita tuae erga me voluntatis perpetua etiam erunt pignora. Certemus itaque multis officiis in posterum inter nos, quam rationem tu, ut tuae nobilitati, tuisque moribus maxime convenit, recte, atque ordine proponis. Tu, ut instituisti, me plurimum ama, meaque omni opera in tuis, amicorumque tuorum rebus omnibus sine ullo respectu utere. Vale. Patavii Kal. Ian. MDLX. (1)

LVI.

CAROLVS SIGONIVS P. VICTORIO S. P. D.

Ad tuas literas V. Eidus Dec. datas respondi serius multo, quam aut officium, aut amor erga te meus postulabat; quum enim te & observem multum, ut virum doctum, & amem plurimum, ut a me, quod tuae literae indicant, non alienum, intelligo me subito ad te debuisse scribere. Quod ne facerem nihil aliud quam inanis officii species quaedam inpedimento fuit, quam dum studiosius sum sequutus, vereor ne id commiserim, ut a te, aut negligentis in scribendo hominis, aut parum diligenter amicitiam tuentis crimine accusari iure pos-

(1) *Huc pertinet Victorii Ep. lib. IV. Epp. pag. 78.*

possim. Volebam autem ad te librum cum literis quemdam mittere de iure Civium Romanorum a me modo conscriptum. Cuius libri diuturna expectatio, non enim in eo describendo Librarii aut festinationi, aut cupiditati meae satisfecerunt, me, ut vides, in hunc usque diem cunctantem traxit. Peto igitur a te, ut me eo loco habeas, quo te habiturum in tuis literis polliceris, idest, ut me ames, si me amore tuo dignum esse intelligis, & de meis his scriptis quid senseris amice scribas, erunt autem cum libris de' iure Civium Rom. septem etiam orationes coniunctae, Venetiis a me, ut ipse intelliges, superioribus his annis habitae; atque ita tibi persuadeas nihil esse, quod ego malim, quam te, quanto a me colaris studio, intelligere. Vale VII. Eid. Februarii MDLX.

LVII.

PETRVS MAPHAEVS P. VICTORIO S. P. D.

Genuam veni ad VIII. Kal. Febr. quinto abs te die. Incidit meus adventus in ipsas occupationes conventuum negotiatorum, qua re factum est, ut publica mea ἔντευξις in ante diem Kal. sit dilata. Ex eo die quidquid egero, & quomodo se se initia dederint, ad te scribam; quando tua fecit singularis humanitas, ut meas tibi res curae esse mihi persuaserim. De libro non urgeo: quem tamen ut mihi libera-

ralissime recepisti, emendatum expecto, & simul aurea illa in *Homerum* scholia, quae tua solertia, virtusque ab interitu vindicat, ad quod tempus expectemus, scire mirabiliter aveo. Vale, meque tui studiosissimum, ac cupidissimum puta. Genua IV. Kal. Feb. MDLXIII. (1)

LVIII.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Theonis librum correctum abs te diligentissime *Antonius Meliorius*, una cum tuis literis ad me perferendum curavit. De quo noli, quaeso, expectare, dum tibi agam gratias: quibus verbis eae significari, agique maximae possunt, iis me esse omnibus usum existima. Itaque fruar ego quidem tuo munere; & quemadmodum tu sine summa erga me benevolentia non potuisti hoc laboris, operaeque suscipere; sic mihi quotiescumque librum illum legam, legam autem saepissime, singularis tua illa doctrina pari probitate, officioque coniuncta obversabitur. Tu vero me in posterum quoque si minus iudicio tuo, at constantiae caussa diliges; & quando spiritum tuum optimo cuique carissimum merito esse intelligis, valetudinem diligenter curabis. Genua Nonis Martiis MDLXIII.

LIX.

(1) *V. Ep. ad eumdem Victorii lib. V. Ep. p.* 109.

LIX.

IOANNES ALBERTVS DEI GRATIA DVX MEGAPOLENSIS ETC. P. VICTORIO S. P. D.

Commentarios tuos in *Demetrium Phalereum*, vir doctiſſime, adcepimus, in quibus eruditionem tuam, diligentiamque non poſſumus non admirari. Quam etſi ex aliis quoque monumentis tuis, quae edidiſti tu quidem plurima, atque omni doctrinarum genere refertiſſima, facile perſpeximus, tamen ea eſt horum commentariorum elegantia, ut in his ipſe te ſuperaſſe videaris. Quare magnam tibi gratiam habemus, & a te petimus, ſi quid porro ſimile, edideris, nobiſcum communicare ne graveris. Quod *Ioannem Caſelium* optimis moribus, atque artibus informatum ad nos remiſiſti, feciſti nobis gratiſſimum, & ut idem in *Bernardo Bugenhagio*, *&* *Ioachimo Hano*, & *Samuele Fabricio* facias vehementer rogamus. Ex quibus quidem *Bugenhagius*, & *Hanus* parentibus nati ſunt nobiliſſimis, conſiliariis noſtris; *Samuel* vero civis noſter eſt, quem noſtris ſumtibus amplius triennio in Italia aluimus: eos omnes ſperamus tua opera ad nos reverſuros eſſe tales, quales volumus, & optamus, ideſt bonos, & honeſtos, & optimarum artium ſcientia ornatos. Quod, ut fiat, te iterum ſic rogamus, ut maiori ſtudio rogare nihil poſſimus. Nos tibi viciſſim officia noſtra deferimus.

Vale,

Vale, vir doctissime, & de studiosa iuventute, ut caepisti, optime mereri perge. Datae ex arce nostra Neostadiensi Nonis Martii Anno MDLXIII.

LX.

PETRVS MAPHAEVS P. VICTORIO S. P. D.

Duram, *Victori*, semper eorum qui de scripto vertunt alieno conditionem putavi. Nam praeterquamquod ad incertum fructum certissimus labor impenditur; tanta est saepenumero tum rerum, tum verborum obscuritas, non ut humani ingenii, sed divinationis paene cuiusdam sit, posse vel ipsius auctoris consilio, vel antiquitatis ignoratione, vel librariorum vitio occultas, penitusque reconditas abiicere, atque illustrare sententias. Mitto duos illos in hoc genere tamquam scopulos; aut nimium attenuatae diligentiae in verbis singulis religiose reddendis; aut nimis dissolutae libertatis in verborum, ac sententiarum vi, serieque ad suum arbitrium inmutanda. Ac tu quidem quid hac tota de re sentias, *Victori*, quaerere non est necesse, quum quid sis sequutus, adpareat. Etenim qui propter eximiam linguarum scientiam perfecti munus interpretis explere facile posses, quum & graecos omnes, latinosque libros maximo semper studio lectitaris, & in ea urbe natus altusque sis, ex qua recentioris hu-

huiusce Italicae linguae omnis non solum, succus, ac sanguis, sed ornamenta etiam, pigmentaque manarint: longe tamen aliis; atque iis sane optimis, praestantissimisque rationibus nomen tuum ad omnis posteritatis memoriam commendasti. Verum, ut dixi, perdifficili in loco versantur, qui vel graeca scripta, vel latina convertunt. Itaque si quempiam aliquando offendi, qui meo iudicio, tametsi imbecillum id est, non omnino absolutus, sed tamen ferendus videatur esse, conatum laudo, difficultati ignosco. Si quis vero ab omni laude ita felix extiterit, ut lineam, quod aiunt, ubique teneat, nusquam haereat, nusquam incurrat, qualem e latinis adhuc fortasse neminem, *Ciceronis* enim huiusmodi interierunt vigiliae, e nostris admodum paucos videmus fuisse, nae ego illum divino quodam beneficio multas praetervectum Syrtes, & quamvis parvo proposito praemio, magnum, quiddam adsequutum putabo; sed in hac ipsa paucitate, qui praestent, non est meum exponere: neque vero tanta sim adrogantia, ut meam tibi sententiam inperitus, ac rudis adolescentulus, homini omnium eruditissimo sapientissimoque praescribam. Vnum tantum in medium adferam, cuius lucubrationes nondum prodierunt in lucem, *Paullum Spinulam, Iacobi* F. Genuensem (1). Is quum ad *Sallustium* etrusca vestra illa lingua donandum & usus multum, &

(1) *V. Ep. Victor. lib. V. pag.* 112. *ad Petrum Maphaeum.*

& acuminis plurimum adtulisset; omnia scriptoris illius sensa, figuras, pressam denique brevitatem illam, purumque genus dicendi diserte, atque eleganter, ut mihi quidem est visus, expressit, nec mirum; ad summam enim ingenii praestantiam incredibilis adcessit industria: ut etiam opus suum e vetere praecepto totum fere decennium in manibus habuerit, lentus scriptionum suarum, ac fastidiosus probator. Nunc autem quum amicis promissum munus diutius debere non posset, quumque Venetias idcirco cogitaret, ut typis cudendum diligenter curaret, non putavit adhuc sat ibi tutum id consilium futurum, nisi *Petri Victorii* limatum illud iudicium, praeclaraque illa auctoritas adcessisset. Itaque tota itineris commutata ratione, quum brevis per Galliam Transpadanam pateret via; hanc unam ob rem Florentiam sibi divertendum existimavit, te ut huiusce rei totius arbitro ac moderatore uteretur. Hunc tu, etsi non dubito, quin pro eius virtute, proque tua in literatos homines voluntate libentissime sis visurus, tamen commendare tibi per literas volui, adsentor enim mihi ipsi, deque tua in me benevolentia, plus etiam quam concedit modestia, mihi polliceor, quum meam apud te commendationem aliquid ponderis habituram confido, aut ne me tuis tam honorificis iudiciis vix tibi notum ornasses; ego enim tanti me antea non putabam. Sed

ut

ut ad *Paullum* redeam, favebis, & consules eius laudi, quemadmodum, & ipsius dignitas, & tua summa bonitas, & mea in te singularis observantia postulat. Doctum, atque elegantem, *Victori*, virum, & nobilissima, ex qua ortus est *Spinula* familia dignissimum cognosces. Vale, & duo lumina vestrae Civitatis *Taurellium*, & *Varchium* saluta meis verbis.

Genua Idibus Maiis MDLXIII. (1)

LXI.

ANTONIVS AVGVSTINVS P. VICTORIO S. P. D.

Libenter legi literas tuas, quibus me de *Faerni* nostri in Philippicas *Ciceronis* emendatione, atque observatione, ac de tuo iudicio in eo studio certiorem facis. Multum quidem certe amisimus, dum tam candidum ingenium, tam simplex pectus, tam multas in restituendis veterum scriptorum libris optime conlocatas lucubrationes perdidimus. Sed tuum erit hanc tantam iacturam tuis elegantissimis libris sarcire. *Demetrium* tuum admiratus sum, quamvis eum nondum totum perlegerim; expecto alia non minora, quando te nec in urbe, nec foris cessare unquam scio. De Tullianis verbis *confer cum hac nundinatione tua*, id solum dicam, me principio ita mutasse, excepta dictione *hac*, quum *Faernus* nondum veterem scri-

(1) *Huc pertinet Victorii responsum lib. V. Epp. pag. 113.*

pturam ad me detulisset. Sed quum vidissem illic *hac in manum latione*, retinere volui antiqui libri primas syllabas, & ultimas illius, & ceterorum: itaque scribendum esse putavi *hac immani nundinatione*. Quod quamvis *Cicero*, alibi non usurpet, satis est, si non ab eius dictione alienum sit, & proximis verbis, atque sententiae sit adcommodatum. Vtitur *Cicero*, ni fallor, & *immani pecunia*, & *immani praeda*, & *immanibus poculis*, *pro magnis*. Nec quod plures literae addantur, est, quod te moveat, ut id reiicias; nam saepe similes literae, vel syllabae, vel desunt, vel duplicantur, & est facilis error heic *in manum* pro *in mani num*: & heic *numlatione* pro *nundinatione*; aut finge *nundinatione* aliquem scripsisse, num male faceret, qui *nundinatione* mutaret? Adcedit, quod in aliis libris est conscriptum *nummatione*, vel *numeratione*, vel *nuntiatione*. Haec in scriptura sequutus sum. De sententia autem malo cum veteri libro, quam tecum consentire: utcumque sit a te ingeniose ratio excogitata, neque enim ideo *immanis nundinatio* dicitur, quod magna inde pecunia quaereretur, sed quod multi essent in ea occupati, & magnus esset ementium numerus, & magna esset Consulis turpitudo, qui domi suae nundinas, non quaslibet, sed frequentes celebraret. Sed tu haec melius diiudicabis: est hic doctissimus quidam Antistes, cuius nomen postea scies, qui me ad-

admonuit de iis locis tuarum lectionum variarum, quae separatim conscripta sunt; tu poteris ea recognoscere, & admonitionem hanc bene consulere. *Laelium* nostrum *Taurellium* iube salvere, & vale. x. Kal. Sep. MDLXIII. (1)

LXII.

NICOLAVS VOLATERRANVS P. VICTORIO S. P. D.

Tuam apud *Livium* animadversionem diligentissimam, quam *Io. Franciscus Loctinius* civis meus abs te legendam adceperat, eius nomine tibi tandem remitto, & ut mihi iterum, ac saepius commisit, sic equidem apud te enuncio, se etiam atque etiam illam vehementer probasse. Audivi enim quum diceret, nemo fere omnium, qui tempus aliquod hactenus in veterum monumentis consumserint, ea, quae tu diligentissime observasti animadvertisse deprehenditur. Atque illud ipsum iter, quod certa nimirum coniectura consequutus es, *Annibalem* Poenorum Ducem e Gallia Cisalpina in Etruriam penetraturum habuisse, exquisitis rationibus confirmavit. Ad haec adiecit te optimam lectitandi rationem ostendisse, quae in omnibus auctoribus, ac praesertim rerum gestarum scriptoribus magno cum fructu legentibus adhibenda esset; & quamquam peracre *Loctinii* ingenium in rebus iudicandis perspe-

(1) *Vid. Victorii Ep. ad Ant. Augustin. Epp. lib. V. pag.* 112.

ſpectum, ac plane cognitum habes, eamdem tamen tuo quidem permiſſu, legendam etiam dedi *Franciſco Medici*, qui te licet vehementer obſervet, & colat inprimis, eiuſmodi tamen vir eſt, ut quidquid de quacumque re ſentiat, vere, ac libere ſemper loquatur; & quod ad rem pertinere magnopere videtur, non ignarus eſt illorum itinerum, quae confici ſoleant ab iis, qui nec exiguas copias ex hac in illam regionem traducendi curam ſubſtineant. Hanc, inquam, animadverſionem tuam ſic diligentem, ſic veriſimilem iudicavit, ut *Loctinii* ſententiam ſit ſtatim ſequutus. Quorum alter, quum ſit optimarum artium ſtudiis eruditus, & alter rei bellicae ſcientia praeditus non vulgari, atque ambo hanc ipſam notationem in caelum verbis extulerint, quae mihi itidem paene ſyllabatim animadverſa eſt; qui fieri poteſt, ut eorumdem ſingulare iudicium repudiem, aut negligam? Id quod niſi temere, niſi inprudenter non committerem; quippe qui multa perſaepe iam egomet vidi a te ſtatim ingenio edita, quae prae ſe tantam ferrent facilitatem, & elegantiam, ut noſtri temporis luculenter ſcribentium nemini, quod eſt eruditiorum iudicium, concedere quidem certe videreris. Quamobrem Deo Opt. Max. gratias & agere, & habere mirificas, qui ad tuam, neſcio quo meo bono fato, amicitiam adrepſerim, eidemque multis etiam precibus ſupplicare, ut ad

ſum-

ſummam ſenectutem vivas, nunquam deſiſto, ut tua ipſius incredibili diligentia omnibus iis, quemadmodum hactenus conſueſti, eſſe adiumento poſſis, qui ſe ſe in omnium bonarum artium cognitione verſari valde oblectant. Sed quo tibi minus moleſtus ſim, non faciam longius, quum praeſertim haec eadem me tecum propediem conlecturum ſperem; propterea quod diutius ruſticari non debes, ſed te ad urbem referre, propter durum anni tempus, quod inſtat, iam oportet: Vale. Florentia x. Kal. Novembr. MDLXIII.

LXIII.

THOMAS HVBNERVS P. VICTORIO S. P. D.

Etſi iam antequam ad illuſtriſſ. optimaeque ſpei Principem meum *Ioachimum Fridericum* ſcriberes, *Petre Victori* vir clariſſime, quantus vir eſſes, quamque benefica natura, & verae virtutis amanti praeditus, ex editis abs te ampliſſimaque doctrina exuberantibus ingenii tui monumentis, non equidem ignorabam; tamen id ipſum ex epiſtola illa tua perſpexi quoque non obſcure; eſt ea enim cum graviſſime, ac prudentiſſime, tum vero etiam humaniſſime a te ſcripta, ut quum hinc amabilis nobis videretur, ac profecto etiam amaretur plurimum, ex illo admirationem, obſervantiamque tui in animo meo ſingularem facile

pro-

procrearit. Nam quum nihil in omnibus humanis rebus ſit vera, elegantique doctrina praeclarius, nihil item virtute, eaque vivendi ratione, quae a barbarie longiſſime abſit, homine, eoque inprimis homine, qui ceteris mortalibus aliquando inperaturus ſit, dignius; quumque tu, *Victori*, Principem illum meum nobiliſſimum ad haec decora amanda, ac perſequenda, non ſolum horteris, atque accendas, ſed quodammodo etiam, quaſi viam monſtrans, deducas, quin hoc maximi facerem, teque propterea, vel longo ſpacio remotus benevolentia, & praedicatione honeſtiſſima proſequerer, facere nullo pacto potui. Itaque poſtquam de *Io. Caſelio*, optimo, doctiſſimoque homine, & fraterno arctiſſimoque amore mecum coniuncto cognovi, ipſum ad te hoc Vere profecturum eſſe, non ſolum vehementer adprobavi conſilium, ac voluntatem Principis mei ad te reſcribere inſtituentis, verum maxime quoque decere putabam, occaſionemque hanc avide prehendi, ut, quantam laetitiam ex egregia iſta erga Principem voluntate, & humaniſſimo facto tuo percepiſſem, ipſe tibi literis meis ſignificarem. Quod non eo quidem modo, tamque polite, ut te dignum eſt, homine omnium politiſſimo, praeſtare poſſum, atque primum etiam, quam id in partem, quod ab ignoto fieret, adcepturus eſſes, ſubverebar. Sed me contra haec ſingularis tua huma-

ma-

manitas, quam *Caselius* una cum ceteris divinis animi, atque ingenii tui dotibus, laudibus, ac praedicatione sua in caelum ferre solet, confirmavit, effecitque, ut quidquid pro illo facerem, te non plane inprobaturum esse mihi persuaderem. Ita autem est: is, quem dixi, Princeps meus, optimo ac valde laudabili consilio ab ineunte aetate literarum studiis, iisque artibus, ac moribus, qui Principum virorum proprii sunt, inbutus & excultus est: neque prorsus falsa ea fama fuit, quae, ut commemoras, ad vos usque de ipso pervenit. Neque vero, quum & heroicam, optimamque indolem ab ipsa natura adceperit, & hanc ipse cum sua sponte, tum meo aliquo studio expoliri, melioremque, & ornatiorem fieri semper antehac optarit, unquam ab hac ratione sibi discedendum existimavit; quam ad rem, saluberrimam quidem illam, & quo rarior est, tanto maiori laude dignam, praestans *Caselii* eruditio, & hausta e tua schola prudentia, tum etiam amantissimae eiusdem cohortationes, magno nobis adiumento fuerunt. Sed, mihi crede, *Victori*, non iam frigentem, & non lentis passibus incedentem, literae, auctoritasque tua sic inflammarunt, atque acuerunt, ut quum nobis omnibus antea diligentia discendi, summaque florescentis virtutis expectatione satisfaceret; nunc plane seipsum superare, ardentiusque, & incitatius ad metam ferri, ac properare videatur.

Magno igitur beneficio adfectos a te iudico, non ipsum modo Principem, & me, dum illum quidem in rectissimo instituto confirmasti, mihi autem id, quod non erat difficillimum, facilius etiam effecisti; verum patriam quoque meam universam, quae hinc quantas utilitates, quantaque gaudia, & quam adcommodata ad vitam bene beateque agendam subsidia expectare poterit? Quae te profecto, nam quod plurimi bonorum sentiunt, id de omnibus adfirmare non dubito, postquam tam pulchre erga suum Principem, hoc est erga ipsam Remp. cuius ille personam non multo post geret, animatum intellexit, subspicere, ferre in oculis, benevolentiaque non parva comprehendere coepit. Atque ego quidem nunc & illius, & meo nomine pro tanta humanitate, studioque erga nos tuo, quantum neque expectavimus, neque de te unquam mereri potuimus, sed tu insigni liberalitate naturae tuae, & alta quadam, generosaque praeclare de hominum genere merendi cupiditate adductus in nos ultro contulisti; de hoc igitur maximas tibi gratias ago, & quamquam quomodo tibi hunc animum nostrum reipsa probemus, ac declaremus, tanto terrarum intervallo disiuncti, non animadvertimus; tamen quod in nostra est potestate, te observare, & gratis, benevolisque animis prosequi, & memoriam facti tui honestissimi latissime propagare numquam desinemus: ut

si,

ſi, quod optamus, & confidimus, beata vita, Principe hoc meo *Ioachimo Friderico* Duce; aliquando potiemur, reliqui, atque adeo omnes, id nos ſecundum Deum tuo merito, & beneficio non minima ex parte adceptum referre intelligant. Ceterum ego te illud nunc etiam atque etiam rogo, ut me nulla quidem re magna commendatum hominem, & te, ita me dii ament, ex animo colentem, earumque literarum, quas in te pernobiles, & veriſſimas eſſe video, ſitientiſſimum, humanitate, benevolentiaque tua complectaris, hancque ad te ſcribendi voluntatem meam in bonam partem interpreteris: cuius rei etſi ſpem non dubiam animo iam concipio, tamen ſi utrumque *mihi per Ioannem Caſelium* ſignificaveris, tum vero me magnam felicitatis partem, qua perpetuo laetari queam, adſequutum putabo, meaque erga te obſervantia, ac pietas, ſi hoc in iis, quae firmiſſima ſunt, & ad ſummum iam pervenerunt, fieri modo poteſt, magis firmabitur, magnaque adceſſione augebitur. Quod ad te cum ſuis literis Princeps mittit, magnum ipſum non eſt, ſed certe ab animo tui amante, & tibi ſe ſe quovis modo oſtendere geſtienti profectum: quod tu item amanter adcipies, neque dubitabis, quae deinceps his in locis grata, & optata, a nobis in te, tuoſve proficiſci poterunt, eorum nihil a nobis, ipſoque in primis Principe praetermiſſum iri. Vale

vir Clarissime, & mortalium commodis, optimarumque literarum studiis, quibus te totum iampridem, ut adparet, consecrasti, vive, floreque diutissime. Custrini VII. Kal. April. Anno MDLXV.

LXIV.

IOACHIMVS FRIDERICVS DEI GRATIA MARCHIO BRANDENBVRGENSIS DVX POMERANIAE PETRO VICTORIO S. P. D.

Literas tuas, *Petre Victori*, quas superiore anno hoc eodem mense ad me dedisti, ego tardissime adcepi. Ea caussa est, cur serius, quam tu fortasse expectas, aut quam ipse volebam, tibi respondeam: quod eo etiam brevius faciendum iam est, quod *Io. Caselius*, vir & tibi, & mihi carissimus, domo in Italiam proficiscens, contra quam statuerat, egoque sperabam, comitum ut intelligo suorum, qui moram non tulerunt, ac longi itineris gratia, ad me declinare de via nequaquam potuit. Eum ego tamen a meis literis vacuum ad te venire non sum passus, non modo, ut meae ipsius cupiditati in hoc gratificarer, sed quia mihi etiam diutius silendum non existimabam, quam grata mihi iucundaque epistola illa tua, cum multa, elegantique doctrina, tum egregiae erga me voluntatis notis redundans extiterit. Vtrumque autem eius argumentum avide amplexus

sum,

ſum, quum in neutro horum quidquam in me deſiderari hactenus paſſus fuerim, tu me in utroque inflammatum oratione, atque auctoritate tua mirifice confirmaſti. Nam quod ad me prius adtinet, ab Illuſtriſſimis viris, Avo, Parenteque meo in literis, quaſi e cunis deductus ſum, earumque ſuaviſſimos fructus deguſtare adoleſcens coepi. Quumque initia moleſtiarum etiam ludibundus exhauſerim, contra fortunatorum hominum conſuetudinem, in qua plurimum erroris eſſe video; quod reliquum eſt moleſtiarum, atque laborum fortiter ſubſtinere, atque ſuperare contendam, ut aliquando, & verum decus, virtutem videlicet ipſam, adripiam, ac conſequar, & meis populis, ſi vivam, aliquid inpertiam beneficiorum. Quo animo quum ſemper fuerim, non potui non ſingulari amore complecti doctiſſimum virum *Io. Caſelium*, cuius ipſe mihi apud te teſtis erit. Neque enim quantam eruditionem a vobis ad nos adtulerit, obſcurum eſt, & non ſolum voluntatem, ſtudiumque ſuum mihi probavit, verum etiam optime de me hoc ſtadium currente, eſt meritus. Nec eo quoque utor libentius, quam & ipſo, & *Hubnero* meo, qui nunc ad te quoque ſcribit; eſtque uterque mihi cariſſimus, & ipſi inter ſeſe arctiſſime complectuntur. Quae habes in iis, de quibus ad me ſcribis, ſic velim, ut tu optas. Reliquum eſt, ut tibi pro tanta tua humanitate,

tate, qua me prosequi coepisti, gratias agam; teque rogem, ut occasionem nactus, ad me non raro scribas, quo mihi nihil erit gratius, neque dubites, quin te quoque amem, ac observem plurimum. Illud item cogitare, ac facere non praetermittam, ut aliquando tu, tuique reipsa intelligant, quanti apud me tua fuerit auctoritas, & quanto studio eas, quas tu tantopere praedicas, ac colis, literas, teque ipsum amaverim. Vale, *Petre Victori* clarissime, & carissime. Custrini VII. Kal. Aprilis MDLXV. (1)

LXV.

GVLIELMVS SIRLETVS CARD. P. VICTORIO S. P. D.

Neque mihi vel sine tuis literis quidquam exploratius esse potuit, quam te hac honoris mei amplificatione laetatum esse, & illis lectis nihil gravius, aut amantius scribi posse iudicavi. Quorum alterum mihi vetus amicitia nostra facile persuadebat, alterum effecit ratio, ac prudentia literarum tuarum: est vero *Victori* tanta auctoritas in testimonio tuo, quod ad alterius laudem adcomodaris, ut nihil ei aut ad voluptatem iucundius, aut ad existimationem maius possit adcidere. Verumtamen, quia ne a te quidem alienum esse potest, quod tui similibus gravibus, ac sapientibus viris con-

tin-

(1) *Vid. Epist. Victorii lib. I. Epp. ad German. p. 39.*

tingit interdum, quorum amor erga aliquem, etsi non omnino praecurrit iudicium, tamen sic occupat, quum adcesserit, ut, & opinio de eius dignitate, quem ament, uberior in dies fit, & praedicatio liberalior; ipse etiam amore provectus es in commemoratione laudum mearum, qui *Pii* Pontificis Max. in me adornando prudentiae pene, plus quam liberalitati tribuas. Ego vero quum & meipsum intueor, & hunc honorem, quanti sit, aestimo, & ipsum specto Pontificem Maximum, in quem privatim nullum meum, non modo insigne beneficium; sed ne paullo quidem illustrius officium ullum exstiterit, facile intelligo hac eius in me benignitate nihil excelsius esse posse. Sed non pugnabo tecum vehementius, quin etiam te virum omnibus doctrinae, & virtutum ornamentis adfluentem, in hoc benevolentiae iudicio, non omnino negabo aliquid etiam veritati dedisse; adfirmabo autem tibi omnem, quamcumque in me esse vis, & animi, & ingenii facultatem in maximum discrimen adductam esse. Securus enim antea versabar in literis, & illud colebam non solum ingenuae voluptatis, sed etiam liberalis solatii domicilium. Nunc ex tranquilla vita, & tanquam ex portu studiorum, quasi in altum abreptus, operam in Reipublicae navi dare cogor, optimo quidem, ac sapientissimo Gubernatori; sed tamen maxima tempestate, ac frementibus fluctibus.

bus. Quod nisi ei confiderem, cuius vel in ipsius Vicario mare, & venti nutum observant, conciderem animo, meque a quieto librorum usu, in negotiosam, & periculosam hanc amplitudinem vocatum esse vehementer dolerem; quamquam me etiam de huius officii difficillimo munere laborantem confirmat ea spes, eum, qui *Pio* Pontifici illam mentem dederit, ut mihi ab ambitione libero, ac nihil tale cogitanti gravem hanc personam inponeret, quo eam aliqua ex parte tueri possim, non consilio, non auxilio defuturum. Ad conciliandum vero mihi Dei opem, & gratiam, quantum ipso Deo adiutore potero, eo utar instituto, ut sententiam, & actionem meam ab omni solutam cupiditate, liberam, & integram perpetuo regendam tradam Divino Numini. Vtinam modo a diuturna librorum consuetudine, a quibus vereor ne disiunctus sim, aliquid ad Reip. utilitatem adferre, & illo privato aliquot annorum otio, publicum hoc negotium adiuvare possim. Haec summa est rationis, & cogitationis meae, de qua tecum, veluti cum altero me, liberius sum loquutus, ut cuius tu mihi tamquam spectatae rei testimonium dedisses, quum studium, & consilium ea de re meum cognoveris, tali tuo de me iudicio magis laetere. Bonis certe, & eruditis viris, virtutis etiam studiosis, & artium optimarum, in quibus, etsi quantum ipse profecerim

cerim poenitet, tamen quia quidquid ſum, totum illis ſecundum Deum me debere intelligo, quod ſemper antea ſtudui, praecipuam operam, ac ſtudium meum profiteor. Quo nomine, veteriſque coniunctionis noſtrae cauſſa te praeferam omnibus, quod *Fabio Segnio* civi tuo coram oſtendi: quem, quod & amicum tuum, & virum, ac poetam bonum, mihi commendas: nemo eſt profecto, cuius aut teſtimonium apud me maiorem fidem, aut commendatio plus ponderis habere poſſit, quam tua. Itaque ei ſingularis animus, & voluntas mea nullo loco deerit. Vale.

Romae. x. Kal. Maii MDLXV. (1)

LXVI.

AVGVSTINVS PAGANELLVS P. VICTORIO S. P. D.

Quaerenti mihi, quid ad te potiſſimum ſcriberem, eruditiſſime *Petre*, non modo res ulla veniebat in mentem, quae te ipſo digna a me haberetur, verum ne quo pacto conſuetudinem meam ſervarem, quibuſque verbis id facerem reperiebam, κωλῷ enim εἰ παροικεῖς κἂν ἐνὶ σκάζειν μάθοις. Hi namque cum quibus conſuetudinem, familiaritatemque iunximus, a ſtudiis humanitatis non ſolum abhorrent, verum κἂν ἐπισκάζειν

Tom. I. V ipſa

(1) *Vid. Victorii Ep. Lib. V. Epp. pag.* 125.

ipſa tamquam levia, ac nullius momenti parvipendunt (1); adfirmant enim ſe non vulgares, ſed interiores diſciplinas, & reconditas ſcrutari, quod ſane ipſi videant, qui id quod *Accurſius*, aut *Bartolus* de *Titii*, ac *Seii* legato dixerint, pronuntiaverintque, ut magnum aliquod ſuſpiciunt, & admirantur; nos certe, etſi his lectionibus, quas adſidue audimus, animum excolere non deſiſtimus, libentius tamen in illud ſtudium incumbimus, in quo antea fueramus, neque adhuc Iuriſconſulti hi tantam dicendi vim habuere, ut ab ipſis penitus meum animum avertere effecerint. Inſinuavi enim me in conſuetudinem *Petri Angelii*, ipſumque publice explicantem, atque adeo dilatantem M. *Tullii* Orationem pro domo ſua attente & diligenter audio, praeſertim quum ipſe commentarios in hanc Orationem ſcripſiſſe compertum habeam, quos decreviſſe etiam poſteris prodere, ac proferre in medium profiteatur. Quapropter locum in hac ab ipſo expreſſum, ac optime, ut videtur, reſtitutum cum animo ſtatui meo, ita enim in omnibus libris legitur = cur cum ego me exiſtimaſſem tuto omnino in civitate eſſe non poſſe, illuc irem? = nullam enim ſententiam ex hiſce verbis = illuc irem? = ſe colligere unquam potuiſſe adfirmat: quapropter paullum his verbis inmutatis ita eſſe

(1) *Sunt ii barbari Iuriſconſulti, qui numquam bonis literis bellum indicere deſtiterunt.*

esse legendum adseverat = idem non irent? = Atque hanc se elicere sententiam dicit, ut quum ego me existimassem tuto omnino in civitare esse non posse, illi boni viri id ad se non pertinere arbitrati sunt. Tu igitur, si tamen non molestum est, hanc scripturam in libris calamo exaratis an deprehenderis, aperies, *Paullus* enim *Manutius* ipsam adripuit, quum *Petrus* per epistolam illi significasset, quod maximum inussit dolorem ipsi *Angelio*; adeo moleste homines ferunt sua in aliena converti, quum ipsi laudem nullam ex iis reportaturi sint. Ego autem etsi in studiis Iurisprudentiae aetatem ago, tamen in portum humanarum literarum me confero; tanta enim in his inest iucunditas, ut ab iis nullo modo, nec diuelli, nec distrahi patiar. Quapropter te oro, ut mihi rescribas, ex tuis enim mihi nascetur epistolae argumentum. Vale. Datum x. Kal. Decembris Pisis MDLXV.

LXVII.

NICOLAVS CISNERVS P. VICTORIO S. P. D.

Iam fere septem sunt anni, quum tibi a doctissimo viro *Francisco Robortello* commendatum, summa complexus es benevolentia, quam ego quum heic de te, *Nathane Chytraeo* praesente, valde praedicarem, is a me contendit, ut sibi meis literis quasi aditum quemdam ad

te darem. Etſi autem non id mihi ſumo, ut tantum ponderis has meas apud te literas habituras putem, quantum id temporis *Franciſci Robortelli* valuerunt, tamen eas propterea tibi non ingratas fore ſpero, quod meum in te animum, ſtudium, & obſervantiam teſtificentur. Nec dubito, quin id a te ſim inpetraturus, ut eadem humanitate *Chytraeum* hunc hominem doctum, & in ſcribendis verſibus mediocriter exercitatum ſis comprehenſurus; qua tua ſponte Germanos homines tui ſtudioſos, & literarum amantes, honoris tui cauſſa, ad te adcedentes proſequi ſoles. Id ſi feceris, & me tibi magis devinxeris, & hominem pudentem, & officioſum tibi in perpetuum obligaveris. Bene vale. Heidelbergae III. Eidus Martii anno MDLXVI.

LXVIII.

IO. CASELIVS P. VICTORIO S. P. D.

Advenimus huc, ut voluimus, ego V. Eid. Aprilis; amici noſtri poſtridie. Vrbis adſpectu exſatiari nequimus. *Ioachimus* Neapolim abiit, ubi aliquot menſes morari conſtituit. Sed aliud eſt quamobrem hanc epiſtolam exarem, ut ſcilicet tibi iterum gratias agam, qui nos adiuvare, & ornare numquam deſinas, ſed ſumma beneficia multitudine novorum cumules. Vt enim nunc priora praetercam; quanta ſunt

haec

haec, quibus ex te Romae fruimur? *Nicolao Nerio* literas tuas tradidi; humanissimus vir est, legit eas libentissime. Se, & omnia *Petro Victorio* debere, neque uspiam nobis defuturum dixit, neque etiam nihil praestitit. Valde item me complexi sunt, animumque in me quotidie declarant singularem *Hieronymus Meius*, & *Silvius Adrianus*. *Hieronymus* vero ille veteris musicae strenuus, atque acutus indagator, quam τῷ ὄντι μουσικὸς est? Sive hanc artem, sive reconditas in ipso literas, sive sermones, eruditionesve, an humaniores? sive rectissimam, politissimamque ipsius vitae rationem intuearis. Magno tui coram observandi desiderio tenetur, quem doctrinae, virtutisque suae auctorem totis XIIX. annis non viderit, nec dubito quin aliquando istic tibi eam tantum ob rem insperato adfuturus sit. Non obscure enim mihi hoc suum consilium aperuit. Verum de his, & aliis, quae non sine voluptate cognoveris, prolixiores tibi coram gratias agemus; id quod erit ante Kal. Iun. Vale. Roma IV. Eid. Maii MDLXVI.

LXIX.

IOACHIMVS HAN P. VICTORIO S. P. D.

Ardeo cupiditate te videndi, eamque veram voluptatem sentiendi, quae ex literis humanioribus capi solet, atque doctissimis hominibus, sed consilio medicorum usus, mihi iniun-

ctum

ctum est, ne iter susciperem ante autumnum. *Maranta* Romam profectus est, quo iniuriam sibi a falsis testibus inlatam ulcisceretur, quorum antea dolis in carcere detentus erat. Cythisi semen ab eo petere habebam in animo, ut id Florentiam transmitterem; etenim, ut auctor huius boni, mortalibus qui hoc seculo vivunt, sic divitiis etiam illis solus abundat; petii enim semen a multis aliis, & praesertim a familiari suo *Ferrante* Pharmacopola, qui Cythisi plantam mihi in *Marantae* fratris horto admodum venustam monstravit, sed omnes ad eum solum quasi manu me deducunt. Puteolos, Baiasque vidi, & quamquam rudera nunc sint; tamen situs ita oblectat, ut ad amoenitatem perficiendam nihil possit desiderari. Tua auctoritas multum me iuvit, quamquam liberius ea usus sim, quam non oportebat apud *Nicolaum del Nero*, qui profecto vir est summa humanitate praeditus, & semper me ei debere fateor. Vale quam felicissime. Neap. Non. Maiis MDLXVI.

LXX.

ANDREAS PATRICIVS STRITERO P. VICTORIO S. P. D.

Gavisus sum incidisse in manus tuas librum meum, maxime vero partem illam libri abs te esse, ut scribis, perlustratam, quae in castigandis, & non nihil explanandis *Arataeis Ciceronis*

tota

tota consumitur. Quam partem equidem tanto avidius ab tui similibus legi aliquando cupiebam, quanto magis eam, propter genus ipsum argumenti, remotam a popularibus studiis, & vulgari intelligentia esse intelligebam: & nisi a vobis aliquando doctis hominibus legeretur, plane abiectam, ac neglectam fore praevidebam. Nunc autem ad hanc meam voluptatem, quam ex tua mearum ineptiarum lectione percepi profecto maximam, illa etiam adcessio facta est multo maior, quod pars illa explicationum mearum illo potissimum tempore abs te legeretur, quo tu quoque ipse, ut mihi significas, in eiuscemodi cogitatione versarere, ac Graecum ipsum *Aratum*, auditoribus tuis interpretarere, & quod denique, id quod ego sane facio, ut debeo, plurimi, ita tunc abs te adciperetur; ut mihi & de navata opera gratias agere, & de successu ipso gratulari minime omnium dubitares. Quod quidem ego totum etsi ex naturae magis, ingeniique tui bonitate, quam ex certo, atque constanti iudicio profectum esse intelligo, tamen haec tua equidem bonitas singularis magnopere me delectat, & labori illi meo magnam admodum, & uberem mercedem persolvit; qui videam in optimi, & doctissimi viri conspectum meas illas cogitationes pervenisse, & quod semper optabam, sine magno tamen fastidio lectas esse: expecto & quod nam tuum sit de reliquis nostris iudicium, quod te

ad

ad nos confirmas perſcripturum. Quod ſi eiuſmodi fuerit, ut noſtra tibi quemadmodum ſperare te ſcribis, adprobentur, magnum profecto, & optatum ſtudii, ac diligentiae noſtrae fructum capiemus, ſin aliquid abs te deſideratum eſſe viderimus, uti quidem iam nunc fore divinamus, erit tamen, quod me in poſterum, ut opinor, acuere, tibique etiam obligatiorem reddere poſſe videatur. *Hipparchum* tuum avide expectamus, nec minus *Arataea* ipſa, mendis iam omnibus perpurgata ad publicam omnium utilitatem, atque uſum. Quae ſi ad nos primo quoque tempore miſeris, magno nos, & ſingulari munere adfeceris. Quod ſi me vero etiam tui profecto iam pridem amantiſſimum amare, ita ut cepiſſe videris, deinceps perrexeris, dabo operam, ut ne te eius rei unquam poſſit poenitere, idque, ut ita facias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

Dublino Eid. Maii Anno Domini MDLXVI.

LXXI.

IOANNES SALCINIVS P. VICTORIO S. P. D.

Quarto Eidus Auguſti redditae ſunt mihi literae tuae Bononiae, quae dici non poteſt quantopere me, & ipſum *Noſcovium* oblectarunt, ac etiam perpetuo, ut ſcias, oblectabunt; Teſtes enim ſunt tuae erga gentem Polonam voluntatis propenſiſſimae. Quid enim poteſt dici pro-

propenſus? quam te tantum virum, ad me, in hac terra ex ultimis uſque Sarmatiae finibus peregrinum, tanta humanitate, ac benevolentia reſcribere? Itaque te tanta praeditum humanitate virum, non obſervabimus ſolum, ſed etiam, ut par eſt, colemus. Illud pace tua minime concedo, quod tu incredibili amore adductus, tantam cognitionem, & ſcientiam rerum noſtris tribuis, quod ſemper fuit, ac eſt proprium gentis veſtrae, quicquid vel humanitatis, vel literarum eſt in Polonia, id totum iure optimo merito debetur veſtrae Patriae, ac vobis, eius doctoribus. Vtriuſque horum maiores veſtri maiorum noſtrorum animis, una cum religione ipſa, inſeruerunt ſemina, ita ut, & religionis, & humanitatis, & literarum incrementa, ac inrigamenta, ut ita dicam, non aliunde quaereremus, & expectaremus, quam a vobis; a quibus prima fundamenta ſunt iacta humanitatis, a vobis Italis, apud quos, & religionis Principem, in perſona Chriſti agnoſcimus, & bonas diſciplinas, ac humanitatis exempla a vobis diſcimus. Exemplo tibi eius rei ſunt tot examina iuventutis Polonae, quae quotannis in Academias veſtras tanquam ad mercaturam, bonorum ſtudiorum cauſſa per tot gentes, ac terras advolant. Diſcipulos nos veſtros agnoſcimus, vos magiſtros, & praeceptores optimos confitemur, quae propria veſtra laus eſt, & gloria; nolumus vos ea frau-

dari; quapropter, & nos ſic tecum agimus per literas, ut par eſt bonos diſcipulos cum graviſſimo, & optimo magiſtro. Sed quoniam peregrinando ſaepe loca mutamus, illud velim ſcias, nos Bononiae per hunc, & ſequentem menſem manſuros, poſt in Poloniam, revocantibus maioribus, ſumus ituri, quocumque tamen locorum literae tuae nobis adlatae fuerint, dabimus operam, ut illis quamprimum reſpondere poſſimus. Illud unum tibi adfirmo, ſi quid feceris, quo nomen adoleſcentis illuſtrari poſſit, nullam te in eo operam perditurum. Tandem bene vale, noſque ut caepiſti, tuo amore complectere. Bononiae XI. Kal. Septembris Anno Domini MDLXVI.

LXXII.

IVLIVS DE KOMERSTADT P. VICTORIO S. P. D.

Etſi vel ſola promiſſio mea non immerito adſcribendum me nunc inpellere poterat, haud levem tamen inſuper mihi ad te literas mittere cogitanti ſtimulum admovit frequens, ac quotidiana mentis meae de tua ſingulari virtute, quam integro fere biennio, ſumma cum voluptate, atque ingenti cum fructu meo, & emolumento, ſatis expertus ſum, recordatio. Hinc ingens quoque mihi deſiderium naſcitur, ut excellenti prudentia tua, atque doctrina quamprimum rurſus mihi coram perfrui liceat.

Ve-

Verum Patria mea, atque amici quum ad se, antequam in Italiam redeam, me nunc vocent, & propterea diutius a te abesse cogar, quam proposueram, has literas, praestantissime *Victori*, ad te mittendas duxi, quo satisfieret meis pollicitationibus, & tu cognosceres me tuorum beneficiorum memorem, & ut officium honestatis, ac gratitudinis postulat, tui amantissimum, ac studiosissimum esse. Iter quidem meum feliciter hucusque satis perfeci: & iam heic in castris Caesareis, ad Iaurinum Vngariae oppidum, Germani id Rabam, Itali Giaverinum nominant, positis moror. Turca hoc mense Iullam, atque Sigetum duo munitissima loca summis furoribus acriter, ac saepius antea tentata, suam in potestatem redegit. Corinthiae, ac Stiriae regionibus nostris, horum locorum amissio, minari videtur ingentia in posterum ob Turcicas incursiones pericula. Idcirco aut pace ineunda cum hoste, aut armis, malis his praeveniendum erit. Labor tuus, quo laudes *Ioannae* Austriacae prosequutus es, omnibus, quibus illum exhibui legendum, ut par est, valde probatur, & is ad pristinam laudem tuam, haud levem cumulum adiicit. *Rotermundum*, & alios, quos salutari per me iubebas, ad castra non adcesserunt; quamobrem, quod voluisti, agere cum illis non potes. Spero intra paucos menses, iterum me Florentiae futurum. Interim, ut tuae benevolentiae, &

amori pristino me commendatum firmiter serves, diligenter rogo, nec non, ut tuum, quod cepisti consilium de commentandis libris τῶν πολιτικῶν, opere quamprimum incipias prosequendum; nam facies rem Reip. universae utilem, amicisque tuis omnibus gratissimam. Bene, & feliciter vale, & me amare perge. Celeri calamo scriptae ex Castris Iaurinensibus IV. Kal. Octobr. MDLXVI.

LXXIII.

IACOBVS GVIDIVS VOLAT. EPISC. PENNENSIS ET ADRIENSIS P. VICTORIO S. P. D.

Ex tuis, & *Bernardini Brisegnii* amplissimi viri literis, quarum scopus esse videtur mutuus inter vos amor, & merita utrique laus, magnam percepi voluptatem, percepturus maiorem, si quod alteri ab altero tribuitur, & ab omnibus tribui par est, facilior sit imitandi, quam suspiciendi locus; maximam vero, si adsequi aliquando detur. Debet ille quidem tibi quamplurimum, quem ex animo sic laudas, ut veritati nihil superadditum, quo revocari in dubium, nihilque quo illustrari queat, omissum a te fuisse adpareat. Debere te & illi maximopere arbitror, non ea ratione solum, qua te omni laudum genere dignum fert in sublime, sed illa etiam, qua vir summa virtute praeditus nihil non suppeditavit, ut omnibus elo-

eloquentiae nervis palam faceres, quanti habendus ipse sit, pro cuius nomine inmortalitati consecrando, veritas, & laus contendere inter sese potius, quam altera cedere alteri adhuc vellet, nisi tu peropportune utrumque conciliasses. Ego autem tantum hoc etiam nomine, qui multis antea tibi debeo, ut in maximi beneficii loco lectionem harum literarum ponendam mihi esse existimem. Cuius ne intereat, finiaturve ratio, ut solet omnium quae referuntur, habere tibi gratiam malim, quam referrre. Quid enim libero homine dignius, quam ei se, & esse, & fateri obnoxium, qui disciplinis omnibus excultus, semper agit aliquid, quo ceteri ad sapientiae studium, vel quemadmodum D. ait *Paullus* ad aemulanda meliora charismata excitentur? Quum haec scripsissem, converti me ad eam, quam scribis Duci Hadriae epistolam, cuius lectio, eo mihi fuit iucundior, quo magis adfirmare possum vera esse omnia, quae de illo praedicas, & quoad eius felicitatem, maior in dies fiet adcessio, si te uno praedicante noverint omnes quid sentire de praestantissimo Principe, & dicere debeant. Quod si eiusdem epistolae argumentum amplificare potuisses ab optima filiorum institutione, qui septem numero certatim uno omnes itinere eo tendunt, ut virtutem Patris, & gloriam non adsequantur solum, sed superent etiam, atque ita illustriorem reddant,

dant, quid amplius ille optare possit, non video, multos siquidem & legimus, & audimus quotidie, qui filios divitiis valde onerent, sed qui bonarum artium studiis vel mediocriter ornare studeant, nedum ornatos consequantur, quasi nihil hodie sit, quod bene nummatum decoret suadela, venusque; ita pauci sunt, ut qui possit huic comparari, vix unus, aut alter reperiatur. Sed, quod nunc exclusus tempore minus potes, praestabis postea, atque eo quidem uberius, quo plenius id omne tecum, ut cupio, praesens agam. Vale, meque tui valde studiosum his adscribe, quos habes carissimos. Florentiae pridie Kal. Maii MDLXVII.

LXXIV.

BARTHOLVS RICHIVS P. VICTORIO S. P. D.

Ego non desino, doctissime *Victori*, recordari tui viri optimi, & doctissimi, longe disiunctus ab Italia, parente omnis literaturae: quod ut apud te testatum facerem, volui haec brevibus ad te perscribere, quum pluribus haud liceat. *Otto* (1) noster, tuus discipulus, meus amicus, tui adsidue meminit, & merito, cui qualemcumque profectum studiorum suorum adceptum fert omnem, teque peramanter cum tuis omnibus iussit salutari, brevi scripturus ipse,

quum

(1) *Haemius*.

quum forte hoc tempore cogeretur hinc abesse. Sed ei inopinatim adcidit, quod suos libros traditos mercatoribus vestratibus *Turregianis* adsportandos in Germaniam, vel soluto precio vecturae, nondum receperit toto triennio elapso, queis heic eget nobiscum, de qua mora dolet admodum, quum in iisdem, libros habeat abs te, & aliis donatos, caros, & raros. Velim mercatores alioquin diligentes & integros sui officii admoneri, ac meas ad literas, si quas superiore anno adcepisti, responderi, responsione reddita iisdem mercatoribus, qui huc ad nos trasmittent eamdem. Mitto ad te carmen quoddam Monachi cuiusdam Hisfeldensis, est autem Hisfeldium Coenobium Imperiale ad Fuldam flumen situm vicinum Hassiae, ex eo genere, quod *Fabius* τῆς ματαιοτεχνίας esse adfirmat, cuius terni versus adficiunt sensum, extantque plura eiusdem farinae *Rabani* Monachi Fuldensis. De rebus Germanicis sic habeto: Lantgravium *Philippum* Patrem Hassiae, natum annos LXIII. postremo die Martii nuper obiisse domi suae, quem biduo post insequutus *Ernestus* Dux Brunswicensis bellator insignis, cuius virtuti debetur victoria parta ad sanctum Quintinum, annis ab hinc decem. Grota Castrum, & urbs munitissima Thuringiae *Ioannis Friderici II.* Saxonici Ducis, capta ab Electore Saxonico Augusto. Ad Eidus Apriles Dux captus, item proscripti Romani Imperii nobiles

ali-

aliquot, de quibus crude ſupplicium ſumtum, ſectis in partes quatuor. Ego tibi, mi *Victori*, longiſſimam vitam largiri dum opto, cui bene volam, quandiu ſpiritus hos reget artus, ob inſignem virtutem, doctrinam, & humanitatem. Wolferbyto ex Caſtro Pridie Kal. Iunias Anno MDLXVII.

LXXV.

IOACHIMVS FRIDERICVS DEI GRATIA MARCHIO BRANDENBVRGENSIS DVX POMERANIAE BVRGRAVIVS NORIMBERGAE P. VICTORIO S. P. D.

Epiſtolam tuam, *Petre Victori*, quam ad me Florentia VI. Non. Martii dederas, adcepi magna iterum cum voluptate, quod ex ea quanto, quamque conſtanti erga me amore eſſes, perſpicue animadverti, atque de eo gratiam tibi habeo, & ut in eo, quemadmodum caepiſti, permaneas, te rogo. Quod ſi occaſiones eſſent magis expeditae probandae tibi reipſa voluntatis meae, gererem morem, ac ſatisfacerem deſiderio meo: qui hoc animo erga praeclara literarum ſtudia, teque pernobilem iſtarum cultorem ſemper fui, ut neque illis opes ullas anteponendas, neque te, ex quo tempore primum, qui eſſes intellexi, non vehementer amandum exiſtimaverim. Quamobrem facere etiam non potui, quin dolerem tecum, & cum literis, quum te ſignificares mor-

morbo tum laborare, atque inpeditum esse, quominus ad me uberius scriberes. Verumtamen spero adfulxisse tibi divini numinis opem, & istum, quicumque fuit, morbum iamdudum depulisse. Id quod non modo pro mea erga te singulari benevolentia, sed & respectu ad publicam utilitatem, quam video & profectam iam esse, & expectandam in posterum ex tuis studiis longe maximam, & amplissimam, precari non praetermisi. Peto autem a te, ut me quamprimum de valetudine tua iterum certiorem facias: & ad me scribas saepius. Soleo enim ex tuis literis honestam sane, & pergratam animo meo voluptatem capere: quod hactenus illae argumentum semper contineant, etiam quum tu argumento te caruissequereris, quod delectet, iuvetque plurimum legentem. Itaque erit id officium tuum mihi omnino gratissimum. Ac persuasum tibi plane esse cupio, in nulla re, quae ad declarandam tibi animi erga te mei propensam adfectionem pertineat, & in mea modo potestate posita sit, tibi benignitatem, amoremque meum esse defuturum. Vale, & vive feliciter, *Victori* carissime. Halae Saxonum ex Arce Sancti Mauricii x. Kal. Iul. MDLXVII.

LXXVI.

IO. CASELIVS P. VICTORIO S. P. D.

Bononiae adhuc eram, quum Mutina domum rediit *Carolus Sigonius*, quem abesse scripseram.

ram. Itaque eius congressu unum, alterumque diem frui mihi contigit: erant autem perhumani eius sermones, & eruditi de studiis literarum: crebra iam, & perhonorifica de te mentio. Non obscure etiam ostendebat, sive ita sensit, sive ea est comitate, se praesentia, verbisque meis multum delectari, & submoleste ferre nostram consuetudinem ita paucissimis diebus, sive horis potius terminari. Nosti enim haec solemnia, & eorum propria, qui studiis, animisque paullo coniunctiores sunt. Ita denique discessimus, ut ille me tui cultorem esse, ego illum mei non vulgarem amatorem intelligerem. Kl. sext. Patavium venimus, ubi & meos amicos, nostrates, & tuos, ut mihi mandaras, salutavi. Statim autem & *Donatum Iannottium*, & *Ioannem Vincentium Pinellum* mihi divinxi, vel ut verius dicam, iam advenientem me de tuis literis, posteriores enim, ut intellexi, eas, quas mihi dederas, anteverterant, acsi coram ipse adfuisses, sic amplexabantur, multisque verbis, & omnibus officiis in primo statim adcessu, quam boni, doctique viri essent, quantum literis, virtutique deditos amarent, quanti facerent, quantumque iudicio tuo tribuerent, ostendebant. Haec autem omnia prolixius, & familiarius, quum apud *Iannottium* una essemus, cui prandio intererant complures quoque vestri cives, iuvenes politissima ista civitate, mihique iucundissima dignissimi, & optimis disciplinis ornatissimi, cuiusmodi eos esse facile coniiciebam,

bam, qui cum tantae virtutis, & doctrinae viris viverent: sed tamen opinionem hanc meam ipsorum modestia, atque sermones confirmabant. Sed ut sim brevior, scire te volo, & me tuis fuisse optatissimum, & hoc mihi nihil heic iucundius potuisse adcidere. Iam vero tibi hoc nomine non solum gratias ago; sed multo magis te rogatum volo, ut quando huc aliquid dabis, ipsis ostendas, te ex me cognovisse, omnia haec ab ipsis mihi gratissima obtigisse, quorum in perpetuum memorem me futurum profitear. Vale cum tuis, quos omnes, nominatimque *Iacobum* F. saluto. Patavio proficiscens. VI. Eid. Sext. An. MDLXVII.

LXXVII.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Bononia, Patavio, Venetiis, Oeniponte ad te scripsi Pridie Kal. Sept. Oeniponte solvimus, postridie Non. huc adpulimus; maluimus enim per Oenum, Istrumque navigare. Veni autem expectatissimus, non amicis solum, & notis, quorum partim heic illustribus legationibus fungentes, partim heic degentes offendi; verum etiam aliis non paucis, quos nunquam ante vidissem, tam hospitibus, quam aulae Caesareae consortibus; plane principibus viris. Horum splendidissimos quosque nominare poteram, quorum alii te, propter me, & de meis verbis, ut mereris, suspiciunt; plures me tua

caussa, quum me in tuis carissimis, atque familiarissimis esse intellexissent, singulari benevolentia complectuntur. Hoc quoque video, non solum amore, qui tuus in me summus est, sed etiam iudicio, quo tibi nemo est anteferendus, te mihi nescio quid suavitatis tribuere solitum, quam boni, elegantesque viri non adspernentur. Adcedit, neque enim inficior, quod ipse quoque magnis viris carus esse laboro, forte etiam ambitiosius, quam debebam. In his est heic, reliquos enim praetereo, ἵνα μὴ πάνυ χαῦνος δοκῶ, *Ioannes Crato*, vir clarissimus, Medicus Caesareus, qui me advenientem ita complexus fuit, & quotidie complectitur, acsi aetatem una vixissemus. Detulit item singularia mihi officia, & quibuscumque potuit meritis ultro me cumulare contendit; quae quidem sunt eiusmodi, ut neque omnia admittere, neque omnia repudiare aut possim, aut debeam. Inprimis autem eius humanissimos, & doctissimos sermones capto, quibus ego, ut saluberrimo animi alimento, valde delector, qui quidem de rebus privatis, iisque, quae nunc publice geruntur, nonnulli sunt; sed plerique de literis, & doctis hominibus. De omni autem liberali doctrina, ut qui in omnibus eius partibus praeclare versatus sit, rectissime sentit, ipsamque longissime disiungit ab illa superba, & perniciosa eruditionis opinione, & simulatione, qua passim multi tument. Doctos autem homines, id est,

ani-

animo, moribus, oratione bene politos, & profunda, veraque optimarum rerum cognitione abundantes, cum omnes, tum in his eos amat, & colit plurimum, qui generi mortalium in veterum ſcriptis e tenebris in lucem producendis, beneque illuſtrandis non ignobilem operam praeſtiterunt. Cuiuſmodi profecto poſt diuturnam optimarum rerum ignorantiam, primum Patrum noſtrorum, deinde noſtro ſeculo non pauci floruerunt; quod & nobis, & poſteritati merito gratulari & poſſumus, & debemus. In hoc vero ordine quum tu principem locum obtineas, nihil maluit *Crato*, quam ſuam, qua te proſequitur, benevolentiam innoteſcere, mihique ſe ante ad te literas dare conſtituiſſe retulit. Quod ego, id ut faceret, quum non ſolum confirmarem, ſed etiam rogarem, viſus eſt id mihi, & polliceri, & facere, cuius literae, & meo, & ipſius nomine erunt tibi gratiſſimae: animus vero viri optimi, communi enim vocabulo utor, quo tamen amplius nullum reperio, multo gratior. Quamquam vero neceſſe minime erat, ut eius ullam ego mentionem facerem, tamen hanc noſtram notitiam, & conſuetudinem quum ad te, cui mea nota eſſe oportere ſtatuo, ſcriberem, ſilentio praeterire non volui, etſi voluiſſem tibi minus dicto audiens fuiſſe, ipſe mihi viderer. Quod ad me praeterea adtinet, ante Kal. Novemb. hinc nos movebimus. Vt primum domi ero, aliam ad te Epiſtolam

adce-

adcelerabo; quin Lipsia quoque aliquid scribam. Vale, *Victori* Clarissime, & ex me multum, multumque familiam omnem tuam saluta. Vienna. XII. Kal. Novemb. Anno MDLXVII. (1)

LXXVIII.

IDEM PETRO VICTORIO S. P. D.

Viennensem fasciculum ad te perlatum certo esse non dubito, in quo erant complures meae epistolae, & una ad te *Io. Cratonis*, qui quum sit vir doctissimus, tum nihil est eo neque integrius, neque solum ob excellentiam artis suae, sed etiam his ipsis nominibus est gratissimus Imperatori *Maximiliano*. Postridie Non. Novembr. Vienna abivimus, quum ibi totum bimestre constitissem. Iter obliquum feci per Moraviam, ubi Comiti meo erat nonnihil negotii apud Boemici regni primatem *Bladislaum Pernistenium*, virum non solum summae dignitatis, & amplissimarum fortunarum; sed & ea humanitate praeditum, quantam in quoquam desideres, & prudentia, quanta ad res maximas gerendas opus est. Ipsa autem regio satis ampla, & amaena, cum nullis prope rebus eget, tum frumento, vinoque abundat, in qua singularem mihi admirationem concitavit, quod in oppidis nonnullis vidi, videram autem in vita nunquam, neque me uspiam visurum existima, & variarum gentium confluxum, & in

(1) *Respondit Victorius Epp. ad Germanos lib II. pag.* 75.

in ipsis sex, septemue religionum homines, si haec confusio hoc nomine adpellari potest, & non potius deteriore, quam superstionis adpellatione digna est: quum singulae haereses sua templa, vel scholas haberent. XVI. Kal. Decembr. Pragam venimus, Principem Boemicarum civitatum : ibique non satis tuto tamen loco, quod nescio quid luis occultae serperet, in tertium diem mansimus, non tantum, quod amici nos tenerent, in quibus erant, qui te istic quoque observaverant, & de te studiose sciscitabantur; sed etiam, ut & nos, & equos aliquantum conligeremus. XI. autem Kal. Dresdam venimus, quae quum sit ipsa civitas, etsi non ampla, tamen omnibus prope aedificiis pulcherrima, tum est regia *Augusti* Septemviri creandis Imperatoribus Saxonici insignis. Domi suae erat *Iulius* noster *Comertstadius*, qui magnam voluptatem, & ex tua epistola, quam ipsi statim tradidi, ut qui & voluptatem amicis exposuerit, & epistolam inter res sibi charissimas statim retulerit, & ex mea praesentia, sermonibusque capit. Ibi autem quum essem, quidam, ex coniuratione Gothana, quae superiore Aprili deleta est, de qua nihil pleni Florentiae cognoveramus, vir primae nobilitatis, capitali eoque gravissimo supplicio adfectus est. Sed haec res Epistolae non est. Dresda quum ab amicis vix me avellerem, & ut verum fatear subinvitus ab ipsorum complexu tam cito abirem, tamen quum *Iulius*

Li-

Lipsiam proficisceretur, quo etiam mihi eundum esset, neque eam profectionem, quod multum sua interesset, in aliquot dies reiicere posset, una cum ipso Lipsiam proficiscor: & quidem huc venimus IIX. Kal. *Iulius* postea ad suos rediit, relictis heic ad te literis, quas istuc nescio cui curandas tradidit. Non tantum autem negotia domestica, sed multo magis publicarum rerum perturbatio, nunc enim etiam omnes in armis sunt, iter, quod istuc suscepturus erat, ipsum hactenus inpedivit. Neque non se ad vos rediturum adfirmat. *Ioachimus Camerarius*, tuus totus est, ut scis, ad quem interea saepe adcessi. Subinfirma est nunc valetudine, & quidem senex, non toto anno te minor, ut intelligo. Heic iam sum in diem XIV. hodie enim abeo. Edidi enim heic πανήγυριν quandam ad Imperatorem meum, quam ad te mittam, quum commode potero, ut diuturnae meae profectionis aliquem fructum degustes. Vbi ceteros amicos, vel eorum aliquos videro, iterum ad vos aliquid dabo. Ianuario domi me futurum spero; tum nihil omnium neglecturus. Vale. Lipsia VI. Eid. Decembr. Anno MDLXVII. (1)

FINIS TOMI PRIMI.

(1) *Vid. Epp. ad German. Lib. II. pag.* 82.